



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Regimine Ecclesiae Episcopalis In Octo Libros Distributus**

**Antonelli, Giovanni Carlo**

**Velitris, 1650**

Liber Secundus. De Sacris ordinibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11401**



IO. CAROLI ANTONELLI  
SAC. THEOL. AC I. V. D. VELITERNI.  
LIBER SECVNDVS.



DE SACRIS ORDINIBVS.

S V M M A R I V M.

- P**ROEST quis ordines recipere tam ab Episcopo originis, quam ab Episcopo domicilij, siue beneficij.
1. Electo semel uno Episcopo non potest variare.
2. An hoc procedat quoad ordines minores.
3. Quinam dicatur originarius, siue oriundus.
4. An possit quis ordinari ab Episcopo originis paterne, si pater tempore natiuitatis illius filij aliò transtulerat domicilium.
5. Vbi ordinandi sint infantes expositi.
6. A quo Episcopo promoueri debent filij illegitimi.
7. Quid dicendum sit de ijs, qui in aliquo loco fortuito, vel in peregrinatione nascuntur.
8. An promoueri quis possit ad ordines in loco, vbi baptizatus est.
9. Ad suscipiendos ordines attenditur, vel domicilium proprium filij, vel Patris.
10. Domicilium etiam momento temporis constitui potest, & quomodo id intelligatur.
11. Ex quibus coniecturis colligatur animus perpetuo manendi: Scholares, Castellani, & famuli an contrahant domicilium in loco, in quo morantur.
12. Habens domicilium in duobus locis, ab alterutro Episcopo potest ordinari, & quomodo hoc intelligatur.
13. A quo Episcopo ordinandi sint Regulares.
14. Patres Societatis Iesu à quocunque

R que



- cunq. catholico Antistite ordi-  
nari possunt.
- 17 A quo ordinari debent Nouitij.  
Nouitij ad sacros ordines quando  
promoueri possint, ibidem.
- 18 An Abbas regularis Nouitij  
suis possit ordines conferre.
- 19 Ad ordines suscipiendos sufficit  
beneficium etiam tenue.
- 20 Ratione patrimonij precise nul-  
lus acquirit forum.
- 21 Habens plura beneficia in di-  
uersis Dioccesibus, ab vnoquoq.  
illarū Antistite promoueri potest.
- 22 Quid si in vna Diocesi haberet  
beneficium residentiam requi-  
rens, & in alia beneficium sim-  
plex.
- 23 An ad hoc sufficiat sola collatio  
beneficij sine possessione, vel  
pensio super beneficio.
- 24 An Episcopus possit ordines con-  
ferre familiari suo non subdito.
- 25 Quid dicendum de famulis fa-  
miliarium Episcopi.
- 26 Quid de magistro actorum.
- 27 Et quid de familiaribus Papae,  
vel Cardinalium, & Episcopo-  
rum in Curia residentium.
- 28 Triennium, quo debent fami-  
liares cum Episcopo commora-  
ri, debet esse continuum, & quo-  
modo id intelligatur.
- 29 An ad hunc effectum sufficiat,  
quod triennium incaperit, ante-  
quam esset Episcopus.
- 30 An si Episcopus ordinet fami-  
liarem suum ad minores ordi-  
nes, debeat illi conferre benefi-  
cium.
- 31 An familiaris remaneat suspen-  
sus ab ordinis executione, si  
Episcopus ei statim beneficium  
non conferat.
- 32 An si Episcopus suo familiari  
conferat beneficium, possit illi or-  
nes conferre non expectato trien-  
nio.
- 33 An Episcopus possit familiarem  
suam ordinare ad titulum pa-  
trimonij, vel pensionis, & an  
tunc teneatur illi conferre bene-  
ficium.

## C A P. I.

Quis censetur proprius Episco-  
pus quoad ordines susci-  
piendos.

## S. I.

A quo Episcopo ordinari debeat qui  
in vna Diocesi habet beneficium,  
in alia natus est, & in alia  
commoratur.



1 Esp. hoc esse repositum  
in electione ipsius or-  
dinandi, quia cum tri-  
bus hūc modis quoad  
ordines suscipiendos efficiatur sub-  
ditus Episcopi tam originis, quam  
domicilij, & beneficij, ideo ab al-  
terutro, quem maluerit, potest  
ordinari, siue litteras dimissorias  
accipere cap. cum nullus de Tem-  
por. ordin. in 6. Rota dec. 6. p. 4. Di-  
uers. verum electo semel vno Epi-  
scopo siue domicilij, siue beneficij,  
vel originis, non potest Clericus  
pro recipiendis alijs ordinibus ad  
alios Episcopos accedere; quia va-  
riatio in ordinibus, quemadmo-  
dum in beneficalibus prohibet  
Ricc. in Prax. for. eccl. par. 1. resol.



275. Unde si quis primò ad sub-  
 diaconatum ab episcopo originis  
 ad titulum beneficij, vel patri-  
 monij ordinatus fuerit sine licen-  
 tia illius episcopi non possit ab  
 alio Episcopo ratione domicilij  
 alibi contracti promoueri ad Dia-  
 conatum, & presbyteratum quia  
 tunc factus est subditus Episcopi  
 originis, qui ordinauit. *Quarant. in*  
*ver. ordo vers. circa tertium Praefec.*  
*in Prax. Episc. p. 1. cap. 1. n. 10. Bar-*  
*bos. de offi. & pot. Episc. par. 2. alk. 4*  
*num. 4. Bonacin. de sacram. disp. 8.*  
*q. 1. pun. 4. nu. 20. cui quidem sen-*  
 tentia fauere videtur Concilium  
 Tridentinum s. ff. 123. de res. cap. 16.  
 ibi, quod si locum inconsulto Epi-  
 scopo deseruerit, ei sacrorum exer-  
 citium interdicitur; hoc tamen  
 non procedere quoad ordines mi-  
 nores, sed tantum quoad sacros  
 dicit Barbos. loco cit. n. 4. 1.

3 Notandum est autem primò,  
 quod originarius, siue oriundus  
 non solù dicitur à natiuitate pro-  
 pria, ut in l. 1. ff. ad Municip. sed  
 etiã à paterna, ut in l. assumptio.  
 s. 1. ff. de tit. dummodò filius sit le-  
 gitimus iuxta l. c. de legitima. ubi glos.  
 ff. de stat. hom. & idè poterit quis  
 ordinari ab Episcopo loci, seu Dioc.  
 cesis, ubi ipse, vel eius pater na-  
 tus est. *N. u. cor. s. 19. de Temp. or. 1*  
*den. & alij plures, quos cumulat;*  
*Barbos. ubi supra par. 2. alleg. 4. n. 2.*  
*et seq. quod Doctores intelligunt*

4 dummodò pater tempore cõcep-  
 tionis, & natiuitatis filij domici-  
 lium aliò non transfulerit relictæ  
 Ciuitate, vel loco originis: quia  
 tunc filius non potest dici origi-  
 narius, vel naturalis loci iam prius

deserui à Patre. *Cas. de Grass. dec. 15.*  
*de Probat. Balb. dec. 22. Rubin. dec.*  
*67. & alij, quos refert, & sequitur*  
*Ricc. in Prax. for. eccl. par. 1. resol.*  
*269. & in collect. decis. 1583. ubi*  
 etiã notat, quod tunc dicitur de-  
 ferta Ciuitas, si ciuis habitat ex-  
 tra Ciuitatem, vel locum: contra-  
 rium tamen declarauit Sac. Cong.  
 Concilij die 16. Dec. 1599. & 12.  
 Augusti 1628. & 7. Aprilis 1629.  
 scilicet, quod quis ordinari potest  
 ab Episcopo originis paternæ, ta-  
 mèn pater tempore natiuitatis  
 illius filij ad aliam Diocesim iam  
 transfulerat domicilium, ut refert  
 Dian. p. 4. tr. 4. ref. 148.

Quæres. r. ubi ordinandi sint in-  
 fantes expositi? Resp. quod cum  
 istorum ignorentur parentes, &  
 locus originis propriæ, ordinari  
 debent ab Episcopo eius loci, ubi  
 nati sunt, vel expositi ad nos. *per*  
*Bart. in l. 1. num. 2. ff. ad municip.*  
*Barbos. d. par. 2. alleg. 4. num. 17. ubi*  
*alios refert.*

Quæres. 2. à quo Episcopo pro-  
 moueri debent filij illegitimi, vel  
 vulgo quæsitæ? Resp. quod ab Epi-  
 scopo loci maternæ originis, vel  
 ubi ipsi nati sunt, ordinari debent  
 ut ex l. 1. ff. ad municip. & dicitur de  
 legitime ff. de stat. hom. dicit Barbos.  
 d. alleg. 4. num. 15.

Quæres. 3. quid dicendum sit de  
 ijs, qui in aliquo loco sortitò si-  
 se in peragrinatione nascuntur?  
 Resp. quod in tali casu non sunt  
 promouendi ab Episcopo eius loci  
 cõ, ubi nati sunt, quia non inspicitur  
 quod per accidens est, ut d.  
 Hennig. & Vafq. apud Bonacin. d.  
 disp. 8. q. 1. pun. 4. n. 13. sed ordina-



ri debent ab Episcopo loci paterna originis l. filius C. de municip. lib. 10. Barbof. d. par. 2. alleg. 4. n. 18. & 19 ubi idem dicit de eo, qui in mari natus fuit: quod intellige, si filij sint legitimi, nam illegitimi ordinandi sunt in tali casu ab Episcopo loci maternae originis, quia isti matris originem sequuntur, ut in d. l. cum legitima ff. de stat. hom.

9 Quæres 4. an promoueri quis possit ad ordines in loco, ubi baptizatus est, licet ibi natus non sit. Resp. affirmatiue, quia sicut per manumissionem quis sortitur forum, & dicitur nasci, ita per baptismum Bart. in l. ciues nu. 4. C. de incol. lib. 10. Barbof. d. alleg. 4. num. 3. Piafec. ubi supra n. 9. & alij.

30 Notandum 2. quod ad effectum suscipiendi ordines attenditur vel domicilium proprium filij, quod potest constituere ubicunque ipse voluerit, ut in d. placet & l. non uti que ff. ad municip. vel domicilium Patris l. filios C. de municip. lib. 10. modo filius sit legitimus, quia illegitimus, vel vulgo quæritus matris domicilium sequitur iuxta tex. in d. l. cum legitima ff. de stat. hom. si verò desit patris domicilium, maternum erit sequendum Piafec. in Prax. Episc. par. 1. cap. 1. nu. 9. Vulp. in Prax. iudic. c. 7. n. 24. Barbof. d. alleg. 4. num. 16.

11 Potest autem constitui domicilium etiam momento temporis, si quis habeat animum perpetuo manendi in aliquo loco. Nam. conf. 2. de Tempor. ordin. Vulp. d. capit. 7. num. 25. Barbof. ubi supra p. 2. alleg. 4. num. 24. sed in tali casu non solum requiritur expressa, talis ani-

mi declaratio medio iuramento, sed etiam aliquod signum assumpti domicilij, puta si emerit domum gl. in l. 2. C. de incol. lib. 10. & 11. d. decisum refert Ricc. in Prax. for. eccles. par. 1. ref. 274. non tamen sufficit sola emptio domus, nisi concurrat etiam animus perpetuo manendi l. Libertus d. facta domus ff. ad municip. Sylu. in ver. domicilium n. 1. Piafec. in Prax. Episcop. par. 1. cap. 1. n. 9.

12 Si verò de animo dubitetur, recurrendum est ad coniecturas, quarum præcipua ea est, si quis cum tota familia omnia bona sua, vel maiorem partem transtulerit l. ciues vbi DD. C. de incol. lib. 10. vel si assidua probetur habitatio non minori spatio decem annorum, quia tunc præsumitur animus perpetuo manendi Vulp. d. cap. 7. nu. 25. Piafec. par. 1. cap. 1. num. 9. & alij

13 communiter: nisi adsit aliquod indicium in contrarium, ut accidit in scholaribus, & famulis, qui ad tempus in loco commorari consueuerunt l. 2. vbi Bart. & alij C. de incol. lib. 10. si tamen finito studio aut seruitio in eodem loco per decennium, & ultra scholares, vel famuli commorati fuerint, tunc censeretur, eos magis habere animum domicilium contrahendi, quam seruiendi, vel studendi, ut dicunt Doctores, quos refert, & sequitur Barbof. loca cit. par. 2. alleg. 4. numero 29.

14 Si verò quis habeat in duobus locis domicilium, & æqualiter se colloct in vtroque iuxta capitulum 2. de sepult. in 61. Libeo, & l. assumptia ff. ad munic. ab alterutro Episcopo-



- scopo poterit tunc ordinari: quia ratione utriusque domicilij utriq; Episcopo fit subditus, ut probat *Ricc. in Prax. for. eccl. par. 1. resol. 275. & alij. scilicet si huiusmodi domicilia non essent & que principaliter contracta, quia tunc principaliter semper est attendendum. Mendch. conf. 398. n. 23. Ludov. decif. Peris. 85. nu. 5. quos refert Barbos. loco cit. alleg. 4. n. 39.*
- 15 Regulares verò ordinari debent ab Episcopo loci, in quo situm est monasterium, etiam si non habeant animum ibi perpetuo manendi ex decreto Sac. Cong. quod refert *Piasec. d. par. 1. cap. 1. n. 14. Quarant. in ver. ordo vers. quantum verò Barbos. d. alleg. 4. n. 61. ubi etiam dicit, quod si Regulares degant in monasterijs. sitis, in loco nullius Diæcesis, ordinari debent ab Episcopo viciniore.*
- 16 Verum ab hac obligatione excipiuntur Patres Societatis Iesu, quibus Gregorius XIII. indulget, ut à quocunque catholico Antistite ordinari possint ad quosvis ordines etiam maiores, ut in eius constitutione, que incipit *Piam, & antile,* relata per *Piasec. in Prax. Episc. par. 1. cap. 1. n. 48.*
- 17 Novitij quoque ordinandi sunt ab Episcopo, in cuius diæcesi situm est monasterium, ubi morantur tempore novitiatus, etiam si alibi nati sint *ang. cap. cum nullus S. religiosi de Temp. ord. in 6. Vulp. in Prax. iudic. c. 7. n. 9. & alij quos refert, & sequitur Ricc. in Prax. for. eccl. par. 4. resol. 258. ubi dicit, quod etiam ad Episcopum spectat litteras dimissorias novitij, con-*
- cedere. Quod intellige quoad ordines minores, nam ante emissam professionem ad sacros promoveri non possunt, nisi forte habeant titulum beneficij, vel patrimonij sufficientis ad victum iuxta formam Concilij Tridentini sess. 21. de ref. c. 2. ut statuit Pius V. in eius constitutione incipien. Romanus Pontifex quam refert *Quaran. in ver. ordo vers. secunda constitutio, vide Ricc. loco cit. d. ref. 258.*
- 18 Unde Abbatem regulare novitij suis minores ordines non posse conferre resoluit *Vulp. in Prax. Iudic. c. 7. in 9. Ricc. in Prax. ut supra par. 4. ref. 587. Henric. in sum. lib. 10. cap. 23. § 3. in commen. lit. G. Fr. Emman. quest. regul. to. 3. q. 23. ar. 2. in fin. Sayr. de cens. lib. 4. c. 13. n. 5. Nald. in sum. ver. novitij n. 9. & alij, quos refert & sequitur Barbos. de offic. & pot. Episc. d. par. 2. all. 3. n. 8. & all. 4. n. 63. & all. 7. nu. 33. quia novitij non subdantur irrevocabiliter Abbati, cum ad libitum possint ad seculum redire: ex quo infert *Vulp. & Ricc. locis citat. Abbatem ordinatem novitios incurere pœnas contentas in Conc. Trid. sess. 23. de ref. cap. 10.**
- 19 Notandum 3. quod ad ordines suscipiendos sufficit beneficium, etiam tenue, siue sit simplex, siue residentiam requirens: quia *tex. in d. cap. cum nullus,* non explicat valorem, neque qualitatem beneficij *Bonacin. de sacram. disp. 8. q. 1. pun. 4. n. 14. Vulp. in Prax. Iudic. c. 7. num. 27. Garc. de Benef. par. 2. cap. 4. num. 8. & alij apud Dian. par. 4. tr. 4. ref. 51. ubi addit, hoc procedere, etiam si beneficium sit tenuissimum.*



- simum, & non reddat nisi duos au-  
teos, vel circa dummodò huius-  
modi beneficium patrimonium suf-  
ficiens ad victum adiungatur iux-  
ta dispositionem Concilij Tridenti-  
ni. sess. 21. de ref. cap. 2. quicquid in  
contrarium dicant alij DD. nam si  
beneficium duorum ducatorum  
est sufficiens, vt quis gaudeat pri-  
uilegio fori, vt resoluit. Sac. Cong.  
apud Dian. loco cit. quare non erit  
sufficiens, vt quis tamquam subdi-  
tus ad ordines promoueat?
- 20 Amplia etiam si patrimonium  
existeret in alia Diocesi, quia ad  
Episcopum beneficij adhuc specta-  
bit ordinatio: nam ratione patri-  
monij præcisè nullus acquirit fo-  
rum; nec fit subditus Episcopi lo-  
ci, in quo existit Barbof. de offic. &  
pot. Episc. par. 2. all. 4. num. 58. Ricc.  
in Prax. for. eccles. par. 1. resol. 271.  
& 272.
- 21 Vnde si quis haberet plura be-  
neficia in diuersis Diocesisibus, ab  
vnoquoque illarum Antistite pro-  
moueri posset Anchar. in d. cap. cū  
nullus num. 1. Gara. de Benef. par. 2.  
cap. 4. num. 2. & alij, quos refert, &  
sequitur Barbof. loco cit. d. all. 4. nu-  
51. Ricc. in Prax. par. 2. resol. 49. vbi  
etiam dicit, quod vterque Epi-  
scopus potest dispensare super il-  
legimitate, & interstitijs.
- 22 Censeo tamen, quod si in vna  
Diocesi quis haberet beneficium  
residentiam requirens, & in alia  
beneficium simplex, præferendus  
esset Episcopus beneficij residen-  
tiam requirantis, cum in tali ca-  
su concurrat & ratio beneficij, &  
ratio domicilij ad trad. per Bar-  
bof. & alios DD. in cap. 1. de Treug.
- & par. Clericus enim obtinens be-  
neficium cum residetia habet do-  
micilium, & est ciuis illius Diocesi-  
sis, in qua tale beneficium sitū est  
Sylu. in ver. domic. n. 1. Bart. in l. 1.  
num. 13. ff. ad municip. Piasc. in  
Prax. Episc. par. 1. cap. 1. nu. 9. vers.  
& ex ista.
- 23 Non tamen sufficeret ad ordi-  
nes suscipiendos sola collatio, be-  
neficij sine possessione, neque pen-  
sio super beneficio Ricc. in Prax.  
par. 1. ref. 272. Barbof. par. 2. all. 4. n.  
55. & 57. vbi cit. Vgolin. Marchin.  
Campan. Garc. & alios.
- S. II.  
An Episcopus possit ordines con-  
ferre familiari suo non  
subdito.
- 24 R Esp. affirmatiuè, dummodò per  
triennium secum fuerit com-  
moratus, & beneficium quacunq.  
fraude cessante statim re ipsa illi  
conferat Conc. Trid. sess. 23. de ref.  
cap. 9. quo casu posse Episcopum  
eidem litteras dimissorias conce-  
dere, dicit Barbof. d. p. 2. all. 5. nu.  
16. Hoc tamen Doctores commu-  
niter intelligunt de Episcopo or-  
dinario, & Diocesim habente,  
nam Episcopo titulari id expressè  
prohibetur ab eodem Concilio in  
sess. 14. de ref. cap. 2.
- 25 Quæres 1. an famuli familiarium  
Episcopi gaudeat priuilegio Tri-  
dentini d. cap. 9. affirmatiuè re-  
spondet Sanch. in opusc. to. 1. lib. 7.  
cap. 1. dub. 20. num. 24. quem refert,  
& sequitur Dian. p. 4. tr. 4. ref. 145.  
Barbof. d. par. 2. all. 5. nu. 6. dummo-  
dò



- do expensis Episcopi alantur, & presentes inferuiat, putant enim, triennium à Concilio fuisse præfixum, vt Episcopus cognoscere posset familiarium mores, & ideo non posse Episcopum ordinare eos familiares, vel eorum famulos, qui absentes fuerint in regione remota, etiamsi ipsius Episcopi sumptibus vixerint, quia absentium mores non potest cognoscere, vide *Quarant. in ver. ordo vers. limita in eo Piafec. in Pra. Episc. par. 1. cap. 1. nu. 15. Bonacin. de Sacram. disp. 8. q. vn. pun. 4. n. 18. Ricc. in Prax. for. eccl. par. 1. ref. 276.*
- 26 Addit Gratian. dec. March. 133. Anton. var. resol. lib. 1. ref. 75. & alij quos refert, & sequitur Barbof. dicta all. 5. num. 18. quod etiam magister Actorum Curie Episcopalis vti familiaris potest in tali casu ab Episcopo ordinari.
- 27 Officiales quoque, seu familiares Papæ, vel Cardinalium, & Episcoporum in Curia residentiū sufficientem titulum habentes, & alia à iure requisita, post trienniū seruitutis posse de licentia ipsorū à Vicario Summi Pontificis promoueri etiam ad sacros ordines, dicit Armendar. apud Barbof. d. all. 5. nu. 19. vbi etiam citat Molfes. in Sum. Theol. mor. tract. 2. cap. 2. num. 32. in fin. & Marchin. t. act. 1. p. 5. c. 9. post num. 15. vers. sexto.
- 28 Obseruant tamen Doctores, quod triennium, quo debent familiares cum Episcopo commorari, debet esse continuum Bonac. de Censur. in part. disp. 3. q. 1. pun. 11. num. 7. & alij apud Barbof. d. all. 5. nu. 9. Ricc. in Prax. par. 1. ref. 277. vbi id limitat, si per modicum tempus, aut ex causa legitimi impedimenti, puta infirmitatis, vel similis abessent.
- 29 An verò ad hunc effectum sufficiat, quod triennium inceperit, antequam esset Episcopus? affirmatiuè respondent DD. quos refert, & sequitur Vulp. d. cap. 7. n. 19. Ricc. in Prax. vt supra par. 1. ref. 278. Bonacin. de Sacram. disp. 8. q. vn. d. pun. 4. num. 16. vbi etiā dicunt, ita declarasse Sac. Congreg.
- 30 Quæres 2. an Episcopus debeat familiari suo conferre beneficium si illum ordinet tantū ad minores ordines? affirmatiuè resp. Doctores, siue talis familiaris ordinetur ad sacros ordines, siue ad minores, vel primam tonsuram ita Nau. cons. 11. de Tempor. ordin. Bonacin. de Sacram. disp. 8. q. vn. punct. 4. num. 17. & ita declarasse Sac. Cong. & Rotam Romanam dicit Quarant. in ver. ordo vers. limita in eo Vulp. in Prax. Iudic. d. cap. 7. num. 18. Barbof. d. p. 2. all. 5. nu. 11. vbi etiam notat quod collatio beneficij facta post sex menses non dicitur facta secundum mentem Concilij, quia tempus sex mensium est longum tempus.
- 31 Obseruat tamen Bonacin. de Censur. in part. disp. 3. q. 1. pun. 11. num. 12: quod familiaris bona fide cum spe beneficij statim obtinendi ordinatus non remanet suspensus ab ordinis executione, si Episcopus ei statim beneficium non conferat, aut si moriatur nondum collato beneficio, quia vbi non



non est culpa, par est, vt neque sit pena l. *Sanctus C. de Pœnis*. Addunt alij, quod si Episcopus conferat suo familiari aliquod beneficium in sua Diœcesi, potest statim illum ordinare non expectato triennio, quia tunc non ordinat pretextu familiaritatis, sed ratione beneficij; quemadmodum si daret beneficium cuicumque extraneo, posset illum statim ordinare *ex d. cap. cum nullus de tēp. ord. in 6 ita Sanch. in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 20. num. 25. quem refert, & sequitur Dian. d. par. 4. tr. 4. ref. 145. Barbof. d. all. 5. num. 11.*

33 Quæres tertio, an Episcopus possit familiarem suum ordinare ad titulum patrimonij, vel pensionis ob necessitatem, vel vtilitatem propriæ ecclesiæ? affirmatiuè respondet Garc. *Armend. & Merchin. apud Barbof. d. par. 2. all. 5. num. 12. & seq. & ita censuiss. Sacr. Congregationem referunt Ricc. in Prax. for. eccles. par. 3. ref. 450. Bonacin. de censur. in par. disp. 3. q. 1. pun. 11. nu. 11.* vbi etiam dicit, quod in hoc casu non tenetur Episcopus illi beneficium conferre, cum habeat vnde viuere possit.

## S V M M A R I V M.

- 1 An possit quis ordinari ad titulum Capellaniæ amouibilis, & quid si fuerit iam ad illius titulum ordinatus.
- 2 Obtinens Capellaniam amouibilem in Capella Papæ an possit ad eius titulum ordinari.
- 3 An possit quis ordinari ad titulum Capellaniæ non collatiuæ.

4 Quando censetur testator facere Capellaniam non collatiuam, & num 5. & 6.

7 Testator simpliciter instituens Capellaniam non prohibendo collationem videtur velle instituire ecclesiasticum beneficium.

8 An possit quis ordinari ad titulum Capellaniæ nō collatiuæ tãquã ad titulum patrimonij.

9 An Capellaniæ ad nutum Patroni concessa possit auferri sine causa.

10 An possit quis ordinari ad subdiaconatum, & Diaconatum ad titulum beneficij, cuius fructus lucrari non potest, nisi post susceptum Presbyteratum.

11 An Clericus Seminarij possit ordinari ad titulum seruitij præstandi in aliquo beneficio eidem Seminario unito.

12 Qui ordinatur sine titulo, aut patrimonio sciens Episcopo nullam penam incurrit, sed Episcopus tenetur ei victum præbere. Suspensionem incurrit qui cum falso, aut fiduciario titulo ordinatur, ibidem.

13 Eandem suspensionem incurrit, qui sacris initiatur sine patrimonio cum pacto non petendi ab Episcopo victum.

Quam penam subeat Episcopus in tali casu, ibidem.

14 Religiosi, qui ante professionem promouentur absque titulo, eandem suspensionem incurrunt.

15 In Religiosis Societatis Iesu prima professio cum triplici voto simplici in hac parte sufficere titulum præbet.

16 Hac suspēsiōne ligatur Religiosus



- sus nulliter professus, si sacros ordines suscipiat.
- 27 An Episcopus possit ab hac suspensione absolueri suos subditos.
- 28 Ordinatus ad subdiaconatū sine titulo, vel cum titulo insufficienti non potest ad superiores ordines ascendere.
- Ad quid teneatur Episcopus ordinans in tali casu, ibidem.
- 29 An Episcopus ordinatum sine titulo possit ad ordinis executionem habilitare.
- 30 An possit quis promoveri ad titulum honorum mobilium.
- 31 Et an possit ordinari ad titulum patrimonij, quod consistit in censu perpetuo, vel vitalitio.
- 32 An suspensionem incurrat habens patrimonium sufficiens, si tale patrimonium nō fuerit sibi expressē in titulum assignatum.
- 33 An ordinatus cum sola fideiussione alimentorum predicta suspensione afficiatur.
- 34 Ad quid teneatur Episcopus, si alijs tituli scrutinium commisit.
- 35 An suspensionem incurrat qui falsō probavit, se habere titulum sufficientem, sed reuera non erat sufficiens.
- 36 Qui coadiutoriam obtinuit cum futura successione an possit ordines sacros absque alio titulo suscipere.
- 37 Quid si quis ordinetur ad titulum honorum, quæ sūt obligata alijs creditoribus.
- 38 An Clericus teneatur bona sibi à Patre pro titulo assignata in partitione hereditatis paterna conferre, aut in legitimam computare.
- 29 An pater possit huiusmodi donationem reuocare propter ingratitudinem.
- 30 An filius cogere possit Patrem ad sibi assignandum patrimonium.
- 31 An pater teneatur iterum patrimonium assignare, si illud filius amisit.
- 32 Quando patrimonium donatum Clerico causa suscipiendi sacros ordines transeat ad heredes ipsius Clerici.
- 33 An suspensionem incurrat qui ordinatur cum patrimonio sibi donato cum pacto non petendi, seu non molestandi Donantem super re donata.
- 34 Quid si fiat pactum de illo reddendo, seu restituendo post ordinationem.
- 35 Si in Resignatione beneficij non fiat mentio, quod ad illius titulum promotus fuerit, beneficium tunc non vacaret per resignationem, sed per mortem.
- Item in tali casu Resignanti competit actio spoliij, ibidem.
- 36 An nulla sit etiam resignatio ex causa permutationis, non facta dicta expressione.
- 37 Quid si resignatio fiat cum pensione sufficienti ad congruam sustentationem.
- 38 An in alienatione patrimonij requiratur Episcopi licentia, si alienans habeat beneficium, seu alia bona ad victum sufficientia.
- 39 Ad quid teneatur Episcopus admittens alienationem patrimonij, si Clericus non habeat unde viuere possit.



40 *An huiusmodi privilegio de non alienando patrimonium sine Episcopi licentia possit Clericus renunciare.*

## C A P. II.

De titulo, seu patrimonio requisito ad ordines sacros.



TATVII Sac. Trid. Synodus, ne quis deinceps Clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & orate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere; patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus iudicaverit assumptos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum, ut in *sess. 21. de ref. ab. 2. vbi antiquorum canonum pena super his innovantur.*

1 Ex quo obseruant Doctores, non posse aliquem ordinari ad titulum Capellaniae amouibilis, quia titulus debet esse perpetuus *Paris. de Resign. Benef. lib. 2. q. 6. nu. 2. & 3. vbi dicit, hanc esse communem, & alij apud Garc. de Benef. par. 1. c. 2. §. 1. num. 83.* quamvis si ad titulum huiusmodi Capellaniae ordinatus iam fuerit, non posset ab ea amoueri, nisi habita alia prouisione sufficienti, etiam in praerudicium Patronorum, qui sibi ipsis impu-

tare debent, quod talem permiserint ad huiusmodi Capellaniae promoueri, ut post *Prax. & Gōzal. dicit. Prax. in Prax. Episc. p. 1. cap. 1. nu. 45. in fin.*

2 Hoc tamen limitant, si quis obtineret Capellaniae in Capella Papae; quia tunc poterit ad illius titulum ordinari, licet sit ad nutum amouibilis *Navar. conf. 20 de Tempor. ordin. & alij apud Barbosa. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 19 num. 30.*

3 Obseruant 2. quod nec potest quis ordinari ad titulum Capellaniae non collatiuae, quae scilicet a laicis absque institutione ordinarij confertur, quia huiusmodi Capellania non est ecclesiasticum beneficium *Navar. conf. 7. de Præb. Ricc. in Prax. jor. eccles. par. 4. ref. 185.*

4 Sed quæres, quando censeatur testator facere Capellaniae non collatiuam? Respondent nonnulli Doctores, quod de iure Capellaniae cum onere, ut certus numerus missarum celebretur, constituta de bonis temporalibus, & sine Episcopi consensu, censentur laicales, & temporales: ad constitutendum enim beneficium requiritur consensus Episcopi, alias non dicitur beneficium, sed pia donatio, seu pium legatum; & ideo tunc laicus deputare potest personam habilem, idest Sacerdotem pro missis celebrandis cum certa elemosyna, ut d. *Guid. Pap. deo. 187. Sarnen. in Reg. de Annal. q. 20. Navar. conf. 5. num. 1. & conf. 7. num. 1. de Præb. Viuian. in Prax. Jurispatr. par. 2. lib. 6. c. 10. nu. 51.*

5 Hoc



5 Hoc rament procedit in Capellanijs institutis inter viuos, & statim effectiatis per positionem Capellani; cum enim fundator non requisierit auctoritate ordinarij, non videtur velle facere beneficium ecclesiasticum, sed Capellaniam non collatiuam *Garc. d. cap. 2. §. 1. nu. 111.* quod locum habet, etiam si fundator esset Episcopus, modo huiusmodi Capellaniam non Episcopali auctoritate, sed priuata, & communi laicorum de bonis proprijs fundauerit *Nau. cons. 7. de Præb. Ricc. in Prax. par. 4. ref. 36.*

6 Idem dicendum, si testator, vel fundator expressè disposuit, quod ordinarius non se intromittat in executione Capellaniam faciendæ collationem, & Canonicam institutionem Capellaniam à Patronis nominato; vel si ex verbis fundationis constet, testatorem non habuisse animum fundandi Capellaniam ecclesiasticam, sed solum constituere ius patronatus laicorum cum onere certarum miserarum, puta si dixerit, quod possit Capellania amoueri, & remoueri cum causa, & sine causa, & quod tam laicus, quam Clericus possideant bona annexa prædictæ Capellaniam, & alia verba similia, quæ repugnant naturæ beneficij ecclesiastici *Nauan. cõf. 5. & 7. de Præben. Ceuall. practiqq. commun. con. comm. q. 282. n. 28. Seraphin. decis. 61. n. 3.*

7 Secus esset, si testator simpliciter instituit Capellaniam non prohibendo collationem, quia tunc videtur velle instituire beneficiũ

ecclesiasticum *Garc. loco cit. cap. 2. §. 1. nu. 109. Ceuall. d. q. 282. numero 28.*

8 An verò possit quis ordinari ad titulum Capellaniam non collatiuam tamquam ad titulum patrimonij, si sit perpetua? affirmatiuè respondet *Ganc. Jaco. cit. num. 4. 70. 112.*

9 Quæres 2. an Capellania ad nutum Patroni concessa possit auferri sine causa? Resp; quod si in fundatione cautum sit, vt etiam sine causa Capellanus remoueri possit, tunc res transit absque difficultate. Si verò ita cautum non sit in fundatione, non potest remoueri absque causa, vt d. *Ceuall. loco citat. q. 425. in fin. contrarium tamen tenet Gutier. practiqq. lib. 3. q. 11. num. 18. & seq. qui nullam aliam causam requirit ad hoc, vt Patronus id facere possit, quam eius voluntatem.*

10 Quæres 3. an possit quis ordinari ad ordines subdiaconatus, & Diaconatus ad titulum beneficij, seu Capellaniam perpetuam collatiuam, cuius fructus lucrari non potest, nisi post susceptum presbyteratum? affirmatiuè respondent Doctores, quos refert, & sequitur *Barbos. de offic. & pot. Episc. p. 2. all. 19. nu. 29.*

11 Quæres 4. an Clericus Seminarij, si ei assignentur certianui redditus pro seruitio beneficij, eidem Seminario vniti, possit ad titulum huiusmodi seruitij ordinari? affirmat *Iul. Cef. Madius de Sac. ordin. cap. 5. num. 20. Lal. Zech. de Rep. Ecclesiast. rub. de Cleric. sub num. 7. Zerol. in Prax. Episc. par.*



par. 1. ver. *Seminarium* §. 6. & alij, & ita etiam declaravit Greg. XIII. prout refert Barbof. loco cit. d. all. 19. num. 31. vbi etiam dicit, quod hæc assignatio cessat, postquam ille aliunde se æquè sustentare poterit.

12. Observat 3. quod si quis ordinatur sine titulo, aut patrimonio sciente Episcopo nullam poenam incurrit sed Episcopus tenetur ordinato victum præbere, donec eidem de beneficio provideat iuxta cap. cum secundum de Præben. per quem tex. corrigitur c. neminem, & c. sanctorum 70. dist. 1. vbi pena suspensionis ipso facto infligatur, ut d. Nau. conf. 1. n. 45. de constit. idem dicendum, si quis exposuit, se habere titulum, sed non sufficientem; quia hoc etiam casu nulla incurritur suspensio, sed ordinatus potest agere contra Episcopum ad supplementum alimenterorum, si Episcopus sciens, vel scire debens eum ordinaverit, & lof. in cap. tuis de Præb. Vulp. in Prax. iudic. cap. 8. n. 8. Quarant. in ver. ordo ver. secundus casus, & ver. secundò extendè, vbi etiam dicit, quod Capitulum sede vacante, seu eius Vicarius tenetur subdito sine titulo cum eius licentia, & dimissorijs ordinato alimenta subministrare.
- Si verò per fraudem quis ordinatur cum falso patrimonij, aut beneficij titulo, aliqua demonstrando per quæ ordinator probabiliter ei credidit, & credere debuit, tunc Episcopus eum alere non tenetur Nauar. conf. 14. de Tempor. Ordin. Barbof. in d. cap. cum secundum num. 6. Ricc. in Prax. p. 3. resol.

453. Sylu. in ver. *Archidiaconus* q. 8. & alij communiter: & ipse ordinatus incurrit suspensionem ipso iure contentam in d. c. neminem, & cap. sanctorum secundum Nau. conf. 14. num. 4. de tempor. ordin. Quarant. loco cit. ver. tertius casus Vulp. vbi supra, & alios apud Bonacin. de Censur. in part. disp. 3. q. 1. pun. 8. n. 1. & seq. sed contrarium tenet Dian. par. p. tract. 16. ref. 5. & par. 3. tr. 4. ref. 184. & par. 5. tr. 10. resol. 50. Piafec. in Prax. Episc. par. 1. cap. 1. num. 42. Bellet. Disquis. cleric. tit. de Disciplin. cleric. §. 5. num. 66. & alij, quorum opinio probatur, tum quia textus in d. cap. neminem, & c. sanctorum fuerunt iam antiquati & correcti per d. cap. cum secundum de Præb. ut supra diximus, tum quia Sac. Cong. declaravit, Concilium Tridentinum in d. sess. 21. c. 2. innouasse tantum poenas d. cap. cum secundum, non autem aliorum canonum, prout refert Vulp. in Prax. iudic. cap. 8. n. 9. Ricc. in Prax. for. eccles. par. 3. ref. 574. vbi ex hoc deducit, quod ordinatus cum ficto patrimonio de iure non est suspensus.

Hodiè verò qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciarijs patrimonij titulis scienter se ad ordines promoueri fecerint, suspensionis poenam eo ipso incurrunt non quidè ex vi constitutionis Sixti V. contra malè promotos incip. sanctum, & salutare, quia hanc moderatus fuit Clemens VIII. alia sua constit. incip. Romanum Pontificem, quam refert Quarant. in ver. ordo, sed per constitutionè Urbani VIII. quæ incip. secretis aeternæ providen-  
tije



- dia, vt d. Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 20. n. 33. & 34. Bonacin. d. disp. 3. q. 1. pun. 8. n. 31.*
- 13 Quæres 1. an aliquam poenam incurrant qui sacris initiantur sine patrimonio cum pacto non petendi ab Episcopo victum? Resp. quod taliter ordinati suspensione incurrunt, & ordinatores a collatione ordinum per triennium suspenditur *per tex. in c. penult. de Simon. Nauar. cap. 27. num. 158. Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. allegat. 20. numero 28.*
- 14 Quæres 2. quomodo poenam incurrant Clerici religiosi, siue seculares more religiosorum viuentes in communi, qui ante professionem promouentur absque titulo, seu patrimonio? Resp. quod similiter suspensionem incurrunt *ex constitutione Pij V. que incip. Romanus Pontifex relat. per Quarant. in ver. ordo vers. secunda constitutio Vulp. in Prax. Iudic. cap. 8. n. 16. Piafec. in Prax. Episc. par. 1. cap. 1. n. 44.*
- 15 Excipiuntur tamē Religiosi societatis Iesu etiam scholares, & primam solummodo professionem emittentes, qui ordinari possunt, & debent sine titulo patrimonij, & beneficij: quāuis enim statim post biennium non emittant professionem solemnem, sed simplicem, nihilominus professio illa cum triplici voto simplici in hac parte sufficientem titulum præbet *ex privilegio Gregorij XIII. vt notat Barbof. d. all. 20. n. 37. Ricc. in Prax. for. eccles. par. 1. ref. 280.*
- 16 Adde, quod hac etiam suspensione ligatur Religiosus nulliter professus, quia sine titulo suscipit ordines, vt decisum refert Ricc. in Prax. vt supra d. pa. ref. 280. Dian. par. 4. tract. 2. ref. 82. vbi etiam monet Episcopos, vt ordines sacros non conferant Regulari, nisi iuret in actis Cancellarię, se sponte professionem emisisse, vel ratam habuisse.
- 17 Quæres 3. an Episcopus possit ab hac suspensione absoluerē suos subditos? affirmat Bonacin. *de censur. disp. 3. q. 1. pun. 5. §. 1. n. 1. & de censur. in par. disp. 3. q. 1. pun. 8. nu. 31. vbi excipit vltimontanos, qui in tali casu absolui debent à Papa*
- 18 *per dictam constitutionem Vrbanij VIII. sed non possunt tales ordinati sine titulo ad superiores ordines ascendere, nisi prius constet de verò titulo, etiam si absque dolo, & fallacijs ad titulum aliquem ordinati fuerint, quem postea à creditoribus eminci contigit nulla eorum culpa considerata, quia iura simpliciter prohibet, ne quis sine verò titulo suscipiat quemlibet ordinem sacrum, & non subdiaconatum tantum, vt ex Concilio Tridentino probat Quarant. in d. ver. ordo vers. an verò.*
- Idem dicendum, si quis cum titulo non sufficienti ad honestam sui substitutionem promotus fuerit ad ordinem subdiaconatus: tunc enim supplemento non habito nequit ascendere ad Diaconatum, & ad Presbyteratum, vt d. idem Quarant. vbi supra vers. secundus casus. Vnde Episcopus adhuc tenetur prouidere de alimentis, seu beneficio, etiam si ordinem contulerit ei, qui iam in sacris constitutus erat, si verum, ac sufficientem titulum



titulum non habeat *Bonac. in de Sa-  
crām. disp. 8. q. vn. pun. 5. n. 22. Quæ-  
rant loco cit. vers. obligationem Epi-  
scopi, & alij, quos refert, & sequi-  
tur Barbof. de offic. & pot. Episc. p. 2.  
allegat. 20. n. 22.*

19 Subdit tamen *Quarant. loco cit.*

*d. vers. an verò, quod si constet ali-  
quem post adeptum Sacerdotium  
vero titulo carere, sed sub ficto,  
& supposito titulo promotū fuisse,  
potest Episcopus cum eo dispen-  
sare, ipsumque ad Sacerdotalis or-  
dinis executionem habilitare,  
prævia absolutione à suspensione,  
modò id fuerit occultum vigore  
Concilij Tridentini sess. 24. de ref.  
capit. 6.*

20 Quæres 4. an possit quis ordina-

ri ad titulum bonorum mobiliū?  
affirmatiuè respondent nonnulli  
Doctores, si statim huiusmodi bo-  
na mobilia possunt conuerti in  
bona stabilia, ita *Azor. instit. mon.  
par. 2. lib. 3. c. 4. quest. 7. Grass. conf.  
4. de Tempor. ordin. quos refert. Ricc.  
in Prax. for. eccles. par. 1. ref. 284. sed  
contrarium est veritas: huiusmodi  
enim patrimonium consistere de-  
bet in bonis stabilibus, ex quibus  
possit ordinandus annuos redditus  
percipere, ut censuit Sac. Cong. te-  
ste *Ricc. in Prax. et supra par. 3. ref.  
453. & idè non est aliquis admit-  
tendus ad sacros ordines, nisi prius  
stabile sibi parauerit, ut dicunt  
DD. apud Barbof. d. par. 2. all. 19. nu.  
55. Vnde ordinatus ad titulum bo-  
norum mobilium suspensionem  
incurreret: quia in tali casu reman-  
net sine legitimo titulo *Bonac. in  
de Sacram. disp. 8. q. vn. pun. 5. n. 32.  
quamuis contrarium teneat Na-***

*uar. conf. 34. de Tempor. ordin. vbi  
dicit, ordinatum ad titulum rerū  
mobilium nullam incurrere sus-  
pensionem, aut aliam penam,  
sed tunc debet curare ordinatus,  
ut quam primum res mobiles in  
immobiles conuertantur.*

21 Quæres 5. an legitimè quis or-  
dinetur ad titulum patrimonij,  
quod consistit in censu perpetuo,  
& redimibili, siue vitalitio? affir-  
mat *Garc. de Benef. par. 2. cap. 5. nu.  
45. & 79. & ita censuisse Sac. Cong.  
refert Ricc. in Prax. par. 3. ref. 450.  
Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2.  
all. 19. n. 55. & 56. vbi addit, in ipsa  
tituli erectione ab Episcopo hanc  
cautionem esse adhibendam, ut in  
casu redemptionis, seu extin-  
ctionis pecunia iterum quam pri-  
mū in beneficium eiusdem pro-  
moti reinuestiatur.*

22 Addit *glos. in cap. si Episcopus  
ver. tit. de Preb. in 6. Ricc. in Prax.  
par. 3. ref. 450. quod habens patri-  
monium sufficiens potest promo-  
uèri ad sacros ordines, licet ex-  
pressè non assignetur sibi patri-  
monium in titulum, quia tunc pa-  
trimonium succedit loco tituli: il-  
lumque in tali casu suspensione  
non affici dicit *NaUAR. conf. 19. de  
Tempor. ordin. quamuis contrarium  
teneat Io. Andr. in d. cap. si Episcop.**

23 Quæres 6. an ordinatus cum so-  
la fideiussione alimentorum à præ-  
dicta suspensione excusetur? affir-  
mat *Grilenzon. conf. 14. per tot. quæ  
refert Dian. p. 5. tr. 10. ref. 48. Ricc.  
in Prax. for. eccles. par. 3. ref. 452. vbi  
dicunt, quod per hanc fideiussio-  
nem videtur satisfieri menti Con-  
cilij, quæ fuit, nè Clerici mendi-*

ca-



care cogantur. Sed alij hanc sententiam non admittunt, nisi quantum ad esse, per nura Sacerdotum: quia obligatio ista personalis non est res immobilis, & pacifice possessa, & per illam ordinandus haberet quidem ius ad rem, sed non ius in re. *Nau. conf. 34. in fin. de Temp. ordin. ubi dicit, quod mens Concilij fuit, ut patrimonium huiusmodi in immobilibus consistat. Et alij apud Barbos. de offic. Episc. par. 2. alleg. 19. n. 73. ubi etiam refert Sac. Congreg. declarationem. nulli. p. 109. 201.*

24. Queres 7. ad quid teneatur Episcopus, si tali investigatione, seu seruitium Archidiacono, vel examinatore, aut Vicario generali commisit, & isti negligenter se gesserint, vel ad eorum falsam relationem aliquis sine vero titulo ordinatus fuerit? Respon. quod tunc actio petendi alimenta dabitur contra ipsos, & in subsidium contra Episcopum *glos. in capit. ad haec in ven. ex. in ven. de offic. Archid. Sylu. in ven. Archidiaconus q. 8. Quirant. in ven. ordo vers. obligationem.*

25. Queres 8. an suspensionem incurrat Clericus ordinatus ad sacros ordines, qui falso probauit, se habere titulum sufficientem, sed reuera non erat sufficientis? Respon. affirmatiue, si notabiliter sit insufficientis, seu si parum deficeret, siue quantitas, quae non esset notabilis arbitrio boni viri. *Nau. conf. 23. de Temp. ordin. ubi dicit, quod defectus quinque respectu viginti quinque videtur esse notabilis. Quirant. in ven. ordo vers. casus in fin.*

26. Queres 9. an suspensionem incurrat qui coadiutoriam obtinuit cum futura successione, si ordines sacros absque alio titulo suscipiat? Respon. affirmatiue, h. c. enim non dicitur beneficium pacifice possidere, nisi forte in constitutione coadiutoriae assignata ei fuisset certa quantitas sufficiens ad sustentationem: tunc enim potest ordinibus initiari, non tamquam ad titulum beneficij, sed potius tamquam ad titulum pensionis, *et de Bonacm. de censur. in par. disp. 3. q. 1. pun. 8. num. 12. Barbos. de offic. Episc. par. 2. all. 19. n. 23. ubi num. 60. addit, quod neque filius, qui amplum expectat ex bonis paternis, aut maternis patrimonium, potest ordinari, nisi expressè illud constituatur à Patre.*

27. Queres 10. utrum hac suspensione afficiatur qui ordinatur ad titulum patrimonij, seu honorum, quae alijs creditoribus sunt obligata? Respon. affirmatiue, si ita ere alieno grauatus est, ut soluto debito ei non remaneat patrimonium sufficiens ad ipsius sustentationem. *Nau. conf. 18. de Temp. ordin. Bonacm. loca cit. n. 16. Barbos. de offic. Episc. par. 2. all. 19. n. 55. qui hoc limitant, si huiusmodi bona non sint hypothecae subiecta, quia tunc ordinatus habet dominium illorum honorum, & ius ad fructus, & ideo titulus in praefatis bonis valide constituitur: sed verius puto, quod etiam in hoc casu suspensio incurratur: quando es alienum debetur pure, & nulla iustae exceptione impediri potest. ad not. pen. Nau. loca cit. num. 2. bona enim*



enim illa dicuntur alicuius, quæ  
superfunt deducto ære alieno &  
*subsignatum §. bona ff. de verb.  
sign.*

28 Quæres 11. an Clericus teneatur huiusmodi bona sibi pro titulo à Patre assignata in partitione hereditatis paternæ conferre, aut in legitimam computare? Negat *Ricc. in Collect. decis. 566. par. 3. & in Prax. for. eccles. p. 1. ref. 532. & alij apud Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. all. 19. nu. 63.* sed mihi æquior videtur contraria opinio; ea enim, quæ donatur ob causam ex sua natura conferri debent, quemadmodum donatio propter nuptias, cum præsumantur tradita in compensationem legitimæ *l. quoniam C. de Inoff. test. traditio autem horum bonorum, pro constituendo patrimonio nõ est donatio omninõ liberalis, sed ob causam constituendi filium in eo statu, nõ abiectè, & indecorè viuat, ita Vulp. in Prax. iudic. c. 6. num. 6. & alij, quos refert, & sequitur Bonacin. de contract. disp. 3. q. 6. pun. 7. §. 1. num. 14. & hæc esse communem dicit Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 97. num. 68. & idè huiusmodi donationes non insinuantur, ut d. Barbos. loc. cit. d. p. 2. all. 20. nu. 28. non tamen tenetur conferre fructus, quos percipit ex dicta donatione Vulp. loco cit. ubi citat Couar in cap. Rainald. §. 1. num. 7. de Testam. Molin. de Iust. lib. 1. disp. 238. in fin.*

29 Quæres 12. an Pater huiusmodi donationem possit reuocare propter ingratitude? Resp. negatiuè, quia per sacros ordines

censetur filius contrahere spirituale coniugium, sicut nec potest reuocari propter ingratitude donatio facta causa matrimonij carnalis *Ricc. in Collect. decis. 19. p. 1. latè Squillan. de Prizileg. Cleric. cap. 12. num. 26.*

30 Addunt nonnulli Doctores, quod quemadmodum filius potest cogere patrem, ut sibi constituat donationem propter nuptias, cum uxorem ducere intendit *iuxta l. fin. C. de dot. promiss. ita etiam volens promoueri ad sacros ordines potest illum cogere ad sibi assignandum patrimonium; valet enim argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, ita Auend. respon. 17. nu. 4. Sanch. de matrim. lib. 4. disp. 26. sub. nu. 7. Genuens. in Practicab. eccles. q. 624. & alij apud Barbos. loco cit. par. 2. all. 19. n. 63.*

31 Addunt 2. quod pater tenetur patrimonium iterum assignare, si illud filius amisit, dummodo conditio patris non sit effecta deterior; si enim substantia Patris diminuta sit, non tenetur iterum patrimonium assignare, prout neque tenetur ad redotandam filiã quæ dotem amisit, nisi in quantum adest virtus eiusdem substantiæ *Menoch. conf. 370 lib. 4. quem refert, & sequitur Ricc. in Prax. for. eccles. par. 4. ref. 88.*

32 Addunt 3. quod donatio patrimonij absolutè, & illimitatè facta Clerico causa suscipiendi sacros ordines mortuo donatario transit ad heredes ipsius donatarij, nõ autem ad donantem, seu eius heredes *Galet. in Margar. cas. conf. ver. conditio vers. 2. quem refert Barbos.*



Barbof. d. par. 2. all. 19. num. 90.  
 33. Quæres 13, an afficiatur hac suspensione qui ordinatur cum patrimonio promisso, vel donato a Patre, fratre, vel alijs cum pacto non petendi, seu eos non molestandi super re donata? affirmatiuè respondent nonnulli Doctores per tex. in cap. per tuas 3. & cap. pen. de Simon. vbi suspenditur qui factis initiatur sine patrimonio cū pacto non petendi ab Episcopo vitum, & qui ordinatur ad præsentationem alicuius beneficiarij cū simili pacto nihil ab eo petendi, Ita Nauar. in man. cap. 27. nu. 158. Vulp. in Prax. iudic. cap. 8. num. 8. & alij.

Verum hanc sententiam merito alij reiiciunt, quia in dictis textibus sermo tantum est de pacifcente cum ordinante, vel præsentante, vt obseruat idem Nauar. sibi contrarius in cons. 17. de Tempor. ordin. Barbof. in d. cap. per tuas, & cap. pen. de Simon. vbi exemplificat in Archidiacono, vel alia persona in simili dignitate constituta cuius officium est examinare ordinandos, & inquirere, an habeant sufficientem titulum, & postea illos præsentare Episcopo ordinatori. Vnde cum casus sit dissimilis, pœna suspensionis contenta in dictis iuribus non est extendenda ad pacifcentem cum Donatore, Patre, & alijs Nauar. d. cons. 17. Tolet. in Instruēt. Sacerd. lib. 1. cap. 15. post n. 5. Henric. in sum. lib. 10. c. 27. §. 3. in Commen. littera O Garc. de Benef. p. 2. cap. 5. n. 168. quos refert, & sequitur Quarant. in ver. ordo vers. quod intellige Barb. in d. c. per tuas de Sim.

Censeo tamen, taliter ordinatū incurrere suspensionem contentā in d. constitutione Urbani VIII. incipi. secretis Diuina prouidentia, cum hic in tali casu promotus fuerit cum ficto, aut fiduciario titulo.

34. Quæres 14, vtrum hac suspensione ligetur qui ordinatur ad titulum patrimonij sibi donati cum pacto, seu conditione illud reddendi, & restituendi post ordinationem? negat Fr. Eman. in sum. tom. 2. cap. 15. nu. 3. Petr. de Ledesm. in sum. par. 1. de Sacram. ordin. cap. 7. concl. 6. diff. 3. Garc. d. cap. 5. à nu. 161. & alij apud Quarant. loco cit. vers. quod intellige Barbof. in d. cap. per tuas num. 7. quia hic à principio ordinatus fuit cum vero titulo, cui post ordinationem non potest renunciari sine licentia Episcopi, & si fiat renunciatio, esset nulla per decretum Concilij Tridentini d. sess. 21. capit. 2. Vnde si quis post factam huiusmodi renunciationem ad reliquos sacros ordines ascenderet, non incurreret aliquam censuram, vel irregularitatem, quia talis renunciatio non valet, vt d. Nauar. in man. cap. 27. nu. 158. & cons. 17. de Tempor. ordin. Vulp. in Prax. iudic. cap. 6. n. 6. Quarant. in ver. ordo vers. quotidianus casus Riccius in Collect. decis. 566. parte 3.

An verò donans patrimonium possit in donatione apponere pactum, & conditionem, vt sibi restituatur, cum ordinatus adeptus fuerit beneficium, vel alia bona ad vitam sufficientia? affirmatiuè respondent Doctores apud Barbof. d. par. 2. all. 19. n. 59. & all. 20. nu. 31.

T

vbi



- vbi dicit, quod huiusmodi pactum non est contra mentem, & constitutionem Concilij.
- 35 Ita etiam si in resignatione beneficij non fiat mentio, quod ad illius titulum promotor fuerit, beneficium eo casu non vacaret per resignationem, sed per mortem, quia resignatio absque tali expressione facta irritatur per Concilium loco cit. & ideo non abdicatur ius a resignante, *vt dixit Rota in Leodien. Canoniciatus S. Io. 28. Iunij. 1621. coram R. P. D. Rembold. apud Barbos. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 19. num. 34. & in tali casu resignati competit actio spolij, vt resoluit Sac. Congr. & Rota in Aretina plebis 19. Nouembris 1602. coram Card. Millipo, vt refert Piasec. in Prax. Episc. p. I. c. 1. nu. 44. immo hanc expressionem requiri pro forma, nec posse adimpleri per aequipollens dicit Beltramin. ad Greg. dec. 441. nu. 9. vbi plures decisiones refert.*
- 36 Addunt Doctores, quod nulla etiam est resignatio ex causa permutationis non facta dicta expressione, nisi forte permutans dimisso beneficio, ad cuius titulum ordinatus fuerat, assequatur pacificam possessionem alterius beneficij ad sui congruam sustentationem sufficientis, *vt censuit Sac. Congr. apud Greg. decif. 441. num. 3.*
- 37 An verò resignatio sit nulla non facta huiusmodi mentione, si fiat cum pensione sufficienti ad congruam sustentationem? valere in tali casu resignationem tenet Nauar. *conf. 4. de Renunc. & alij,*
- quia tunc cessat finalis ratio, videlicet dedecoris clericalis, propter quam Concilium in textu prohibuit resignationem beneficij in titulum assignati: sed alij contrarium sustinent, quia id traditum est pro forma, & indistinctè annullatur resignatio aliter facta *Rot. in d. Leodien. Barbos. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 19. n. 42. vbi citat Garc. par. 2. cap. 5. nu. 215. Vgol. in de potest. Episc. c. 26. §. 8. nu. 4. Homobon. tract. 2. cap. 2. q. 23. in fin.*
- 38 Quæres 15: an in alienatione patrimonij requiratur Episcopi licentia, si alienans habeat beneficium, seu alia bona, ex quibus commodè viuere possit? Alij negant, quia dictio illa posita in Concilio d. cap. 2. *donec beneficiū ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant &c.* restringit vsque ad illud tempus, & eo elapso permittit *per text. in l. generaliter ff. de decur. & hac est communis opinio: alij verò tenent, quod etiam in hoc casu Episcopi licentia requiritur; ad Episcopum enim spectat cognoscere, an talis ordinatus beneficium sufficiens adeptus fuerit, vel aliunde habeat vnde viuere possit Bursat. conf. 178 nu. 55. lib. 2. Cened. pp. & canon. qq. lib. 1. q. 11. n. 9. & alij apud Barbos. d. all. 19. nu. 90. vbi hanc dicit vniuersiorem. Vnde alienantem sine licentia posse puniri eiusdem Episcopi arbitrio, tenet Vulp. in Prax. Iudic. cap. 6. nu. 6. Ferr. qq. mor. par. 2. q. 32. nu. 4. & 6.*
- 39 Obseruat tamen Ricc. *in Collect. dec. 566. par. 3.* quod si ordinarius



- tius admittat patrimonij alienationem, seu resignationem beneficij, teneret quidem alienatio, vel resignatio, sed si clericus non habeat unde viuere possit, tunc ordinarius sciens, vel scire debet tenebitur eidem Clerico alimenta ministrare de proprio iuxta cap. cum secundum de Preb.
40. Addit Quarant. in ver. ordo vers. quod intellige, Concilium lococit: prouidisse bono publico, & decori Ecclesie, quod consilium in hoc ordinandorum titulo, ne in opprobrium status clericalis medicare cogantur: & ideo huic priuilegio neque cum iuramento renunciari potest ad tex. in cap. si diligenti de for. compet.

## S V M M A R I V M.

1. Episcopus ordinans dispensat cum Regularibus super interstitijs, non autem Prælati regularis.
2. An hæc facultas competat Vicario Episcopi.
3. Et an competat Vicario Capitulari.
4. Si Abbates suas subditis ordines minores conferant, an possint cum illis super interstitijs dispensare.
5. Subditi in hoc casu qui dicantur.
6. Quæ causa requiratur in dispensatione interstitiorum.
7. Patres Societatis Iesu etiam extra tempora, & absque ulla restrictione in ipsis ordinibus, aut obseruatione interstitiorum promoueri possunt.
8. An hoc priuilegium ad alias Re-

ligiones communicantes extendatur.

9. An Episcopus possit dispensare cum familiari suo super interstitijs.  
Et an possit illum habilitare ad minores ordines, si esset illegitimus, ibidem.
10. An aliquam poenam incurrant suscipientes ordines non seruatis temporum interstitijs.  
Et an Episcopus ordinans in tali casu incurrat in aliquam penam, ibidem.
11. Quando præsumatur tacita dispensatio.
12. An Episcopus quatuor minores ordines possit eadem die uni conferre.

## C A P. III.

## De Temporum interstitijs.

## S. I.

Ad quem spectet dispensare super interstitijs cum Regularibus.



Resp. quod licet Episcopus ordinator non possit dispensare super interstitijs cum non Dignitate, nisi hoc in dimissorijs expressè concedatur, ut censuit Sac. Cong. die 9. Augusti 1593. diuersum tamen est quoad Regulares, cum quibus non Prælati regularis, sed Episcopus ordinans in hoc dispensat, qui tamen quo ad causam dispensationis iudicium formare debet ex attestatione Præla-



- ti regularis Sorb. in Compend. pri-  
uil. mendic. ver. ordines sacri vers.  
quoad secundum Prosp. de August.  
in addit. ad Quarant. in ver. ordo in  
fin. Lezan. in Sum. qq. reg. to. 3. ver.  
interstitia nu. 1. Ricc. in Prax. for.  
eccles. par. 4. ref. 214. & ita resoluis-  
se Sacr. Cong. d. Piafec. loc. cit. nu. 50.  
Dian. p. 3. tr. 2. ref. 112. idem Ricc. in  
Collect. dec. 576. p. 3. Vulp. in Prax.  
iudic. cap. 7. n. 12. Bonac. de Censur.  
in part. disp. 3. q. 1. pun. 4. §. 2. n. 8.
- 2 Hanc autem facultatem dispē-  
sandi super interstitijs competere  
etiam Vicario Episcopi, tenet  
Sbrozz. de Vic. Episc. lib. 2. q. 43. n.  
28. & 29. Barbof. de offi. & potest.  
Episc. par. 2. all. 18. nu. 6. vbi addit,  
quod in hoc non obstat Concil.  
Tridentinum sess. 23. de ref. cap. 13.  
& 14. id remittens arbitrio Epi-  
scopi, quia Vicarius sub Episcopi  
nomine continetur, nisi expressè 7  
excludatur,
- 3 Vnde eandem facultatem  
etiam ad Vicarium Capituli Sede  
Vacante extēdit Bonacin. d. disp. 3.  
q. 1. pun. 4. §. 2. num. 5. & censuit  
etiam Sacr. Cong. teste Quarant. in  
ver. capitulum Sede vacante q. 10.  
vers. & refertur.
- 4 Item Abbates, quando suis regu- 8  
laribus subditis ordines minores  
conferunt iuxta concessam ipsis  
facultatem à Concilio Tridentino  
sess. 23. de ref. cap. 10. posse super  
interstitijs dispensare tradit Sorb.  
in ver. ordines sacri vers. quando  
verò Vulp. in Prax. Iudic. c. 7. n. 11.  
in fin. subditi autem ad hunc ef-  
fectum dicuntur, qui sub Abbatis  
ordinantis regula professi sunt  
Ricc. in Prax. p. 4. ref. 585. & alij.
- 6 Obseruant tamen Doctores  
quod grauior causa requiritur in  
dispensatione interstitiorum in-  
ter Diaconatum, & sacerdotium,  
quam inter ceteros ordines: nam  
Concilium Tridentinum dispēsa-  
tionem huiusmodi quoad mino-  
res, & Diaconatum arbitrio Epi-  
scopi simpliciter remittit; à sus-  
ceptione verò postremi ordinis  
minoris ad subdiaconatum exigit  
necessitatem, vel vtilitatem; sed  
à Diaconatu ad presbyteratum,  
vtramque coniunctim requirit,  
scilicet necessitatem, & vtilitatem  
vt in sess. 23. de ref. cap. 11. 13. & 14  
& notat Bonacin. de Sacram. disp.  
8. q. vn. pun. 6. num. 2. & de Censur.  
in part. disp. 3. q. 1. pun. 4. §. 2. n. 3. &  
seq. Barbof. par. 2. all. 18. nu. 5. Vulp.  
in Prax. iudic. d. cap. 7. nu. 7. Ricc. in  
Prax. for. eccles. par. 4. ref. 215.
- 7 Patres verò Societatis Iesu ad  
sacros ordines etiam Presbyte-  
ratum etiam extra tempora, abs-  
que vlla functione in ipsis ordini-  
bus, aut obseruatione interstitio-  
rum promoueri possunt ex Con-  
stitutione Gregor. XIII. vt refert  
Barbof. d. par. 2. all. 17. num. 7. quod  
priuilegium ad alias religiones  
communicantes multi Doctores  
extendunt, etiam si Gregorius in  
ind. constitut. huiusmodi gratiæ  
communicationem alijs Religio-  
nibus interdixerit: quia Pontifi-  
ces successores Gregorij priuilegia  
dictæ Societatis alijs Religio-  
nibus sine vlla limitatione con-  
cesserunt, Portell. in Dub. regul.  
ver. ordines sacri num. 4. Homobon.  
de exam. eccles. to. 1. tract. 2. cap. 1. q.  
3. Monet. de commut. vlt. vol. c. 10.  
num.



num. 188. *Hieron. Rodriq. in Compend. qq. reg. resol. 106. nu. 7. & alij, quos refert, & sequitur Dian. p. 3. tr. 2. ref. 31. & 112. ubi etiam dicit, simile priuilegiū a Clemēte VIII. concessum fuisse Patribus Congregationis S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia.*

## §. II.

*An Episcopus possit dispensare cum familiari suo triennali super Interstitijs.*

9 **N**egat Ricc. in *Prax. for. eccl. par. 1. ref. 276. & 218. Nau. conf. 12. & 13. de Tempor. ordin. Quarant. in ver. ordo vers. limita in eo Vulp. in Prax. Iudic. cap. 7. num. 18. ubi etiam dicunt, quod neque potest Episcopus illum habilitare ad minores ordines, si esset illegitimus: ratio est, quia potestas ordinandi familiarem suum nō subditum est exorbitans à iure communi, & idē non debet extendi cap. que à iure de reg. Iur. in 6. Nau. conf. 12. de Temp. ordin. & hæc est communis opinio. Alij tamen putant, posse Episcopum in interstitijs dispensare dummodo familiari suo beneficium statim conferat iuxta Conc. Tridentinum sess. 23. de ref. cap. 9. eo enim ipso quod Concilium dat Episcopis facultatem in tali casu suos familiares ordinandi, consequenter videtur illis concedere necessaria ad talem ordinationem faciendam, ut est dispensatio in interstitijs, ita censuit Sac. Cong. teste Ioan. de Cruce in Direct. Conf.*

*par. 2. de Sacrament. ordin. dub. 43. concl. 2. quem refert, & sequitur Dian. par. 3. tr. 4. ref. 190. quod secundum omnes haberet locum, si Episcopus familiari suo prius conferat beneficium, tunc enim ratione beneficii collati fit illi subditus, & idē poterit Episcopus cum eo super interstitijs dispensare, ut decisum refert Barbof. d. par. 2. all. 5. nu. 15. præsertim si arctetur intra certum tempus ad suscipiendos ordines propter beneficium acceptum.*

## §. III.

*An suscipientes ordines non seruatis temporum interstitijs aliquam pœnam incurrant.*

10 **R**espondent communiter Doctores, quod licet in tali casu ab Episcopo suspendi, & alijs pœnis puniri possint ob transgressionem canonis, non tamen sunt ipso iure suspensi, neque irregulares; quia talis pœna in iure expressa non reperitur Nau. conf. 4. & 6. de Tempor. ordin. Pisecc. loc. cit. num. 50. vers. nullam Dian. p. 3. tr. 2. ref. 32. Barbof. d. all. 18. nu. 14. Vulp. d. cap. 7. num. 17. Bona. in de Censur. in par. disp. 3. r. 1. bun. 4 §. 2. num. 1. Ricc. in Prax. for. eccl. ref. 217. ubi etiam dicunt, quod neque Episcopus ullam pœnam incurrit, si ordinaret subditum non seruatis interstitijs; peccaret tamen mortaliter recipiens ordines in tali casu secundum Nauar. d. conf. 4. Barbof. d. all. 18. nu. 14. Bonacin.



- nacia loco cit. licet contrarium re-  
neat Henriq. in sum. lib. 6. c. 10. §. 3.  
quem refert Ricc. in Prax. p. 4. n. 11. 10. An Illitterati quoad obtenta be-  
ref. 217. praesumitur verò tacita di-  
spensatio, si Episcopus ordinans, 11 Parochialium ecclesiarum Recto-  
vel dimissorias concedens nouerit  
ordinandam indigere dispensa-  
tione interstitiorum Car. de Grass.  
Menoch. Maiol. & alij apud Bona-  
cin. ubi supra d. 1. 2. n. 7. 12. Si Reditus ecclesiae non sufficiant  
12. Queres, an Episcopus quatuor  
minores ordines possit eadem die  
vni conferre? Resp. negatiuè, nisi  
fortè in aliquo loco talis adesset  
consuetudo ex decreto Sac. Congr. 13.  
apud farinac. decis. 185. p. 4. Diuers.

## S V M M A R I V M.

- 1 Quilibet debet habere scientiam,  
qua possit explere ea, quae incum-  
bunt ordini, vel officio.
- 2 In beneficijs maior, & minor  
requiritur scientia pro diuersi-  
tate muneris.
- 3 Quae scientia requiratur ad bene-  
ficium simplex.
- 4 Quae scientia requiratur in Ca-  
nonicis.
- 5 Quae scientia requiratur in Pro-  
mouendo ad beneficium curatū  
& in dignitatibus habentibus  
Iurisdictionem.
- 6 Non potest Episcopus cum peni-  
tus illitterato dispensare.  
Collatio beneficij facta penitus il-  
litterato est nulla ipso iure, ibi-  
dem.
- 7 Quando possit Episcopus dispen-  
sare cum eo, qui parum scit.
- 8 Quae scientia sufficiat in Reli-  
giosis.
- 9 Et quae in Clericis pauperibus

ad obtinendum simplex benefi-  
cium.

10. An Illitterati quoad obtenta be-  
neficia sint tolerandi.

11 Parochialium ecclesiarum Recto-  
ribus imperitis Episcopus dare  
potest coadiutorem.

Quando Parochus dicitur impe-  
ritus, ibidem.

12. Si Reditus ecclesiae non sufficiant  
Coadiutori, & coadiuto, Parocho  
primum prouidendum est, dein-  
de in subsidium tenentur Paro-  
chiani ad alimenta Coadiutoris.

13. Si parochi propter imperitiā tur-  
piter viuunt, beneficio sunt pri-  
uandi.

14. Admissus ad sacros ordine cen-  
setur absque alio examine habi-  
lis ad beneficia simplicia.

## C A P. IV.

Qua scientia ad ordines re-  
quiratur, & an Episco-  
pus possit in hoc di-  
spensare.



Vilibet Clericus debet  
habere talem scientiā,  
qua arbitrio Iudicis  
possit explere ea, quae  
incumbunt ordini, be-  
neficio, dignitati, & officio, ad  
quae assumitur citales 23. dist. Bel-  
let. Disquis. Cleric. tit. 1. §. 4. n. 21. &  
38. Ricc. in Prax. for. eccl. p. 4. resol.  
75. Vnde ad singulos ordines Sa-  
cra Tridentina Synodus certam  
scientiam praescripsit, ut in sess.  
23. de rf. cap. 4. ubi sermo est de pri-  
matonsura, & cap. 5. & 11. ubi de  
mi-



- minoribus ordinibus, & cap. 13. ubi de Subdiaconatu, & Diaconatu, & cap. 14. ubi de Presbyteratu.*
2. In beneficijs etiam maior, & minor requiritur scientia pro diuersitate muneris, seu officij; nam ad beneficium simplex, quod seruitium aliquod non requirit, nec ordinem aliquem habet annexum, sufficit, quod Clericus sciat fidei rudimenta, legere, ac scribere, & quod aliquantulum linguam latinam intelligat, *vt d. Garc. par. 7. c. 7. nu. 8. Ricc. in Prax. par. 1. ref. 340. & par. 4. ref. 75.*
3. In ijs vero beneficijs, in quibus requiritur industria, & consilium vt in Canonicatibus, & dignitatibus iurisdictionem non habentibus, mediocri scientia requiritur, ea scilicet, quæ necessaria est ad eorum munus explendum *Bellett. ubi supra n. 27. & 28. Ricc. in Prax. p. 4. ref. 75. vel saltem vt habilis, & idoneus censeatur, qui infra annum eam addiscat, qua ad debitum ordinem promoueri possit secundum Bonac. in tra. de Hor. Canon. disp. 2. q. 3. pun. 3. n. 1.*
4. Maior autem scientia desideratur in promouendo ad beneficium curatum, cum debeat ministrare sacramenta, & euangelium declarare *etiam te. & c. pen. de etat. & qual. eminentior vero in dignitatibus habentibus iurisdictionem cap. 1. in fin. de Consang. & affin. Vnde per Concilium Tridentinum sess. 24. de ref. c. 12. sancitum est, vt Archidiaconi sint Doctores, seu magistri in Sac. Theologia, vel licentiati in iure canonico: idemque statuitur quoad scholasterias in sess. 23. de ref. cap. 18.*
5. Non potest autem Episcopus cum penitus illitterato, hoc est cum eo, qui legere nescit, dispensare quoad primam tonsuram, & ordines suscipiendum *cap. nullus de Tempor. ordin. in 6. Bellott. par. 1. tit. 1. §. 4. n. 3. & alij apud Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 46. n. 11. quamuis, si de facto ordinetur, recipiat characterem: ex quo enim est baptizatus, capax est etiam omnium Sacramentorum, vt docent communiter Doctores: neque potest cum tali illitterato dispensare quoad suscipiendum beneficium: immo in tali casu collatio beneficij esset nulla ipso iure *late Garc. de Benefic. par. 7. cap. 7. n. 12. & seq. Barbof. par. 3. all. 63. nu. 1.**
6. Si vero ordinandus aliquod principium Grammaticæ habuerit, aut modicum quid sciat, & ostendat spem addiscendi in futurum, poterit Episcopus cum eo dispensare; minor enim scientia sufficit, si adsit spes addiscendi in futurum, *ita Rebuff. Menoch. Henriq. Sanch. & alij, quos refert, & sequitur Barbof. par. 2. all. 46. n. 13. presertim in ijs, quæ usu, & exercitio addisci solent, vt in cantu, in quo regulariter non fit examen *Garc. d. n. 7. cap. 7. n. 6. & 7. & in tali casu si beneficium confertur ijs, qui penitus illitterati non sunt, prouisio illis facta non est nulla ipso iure, etiam si careant scientia ad illud requisita, sed venit irritanda, vt ex Conc. Trid. sess. 7. de ref. cap. 3. probat Barbof. p. 3. d. all. 63. n. 3.**
7. Quare poterit Episcopus ad sacros ordines admittere Religiosos, qui sciunt bene legere, & cantare



- tare, etiamsi in lingua latina aliquantulum deficiant; sic enim in aliorum societate, & pro officijs Religionis videntur idonei ministri: præsertim cum regulariter nõ ordinentur ad curam animarum habendam, sed solum assistendum in Choro, diuinisque officijs *cap. nullus de Tempor. ordin. in 6. Portel. in Dub. Regul. ver. ordines sacri. nu. 6. Henriq. lib. 10. cap. 16. n. 2. Villalob. in sum. tom. 1. tract. 21. dub. 34. num. 5. Hyeron. Rodriq. in compend. qq. regul. ref. 52. num. 22. Peirin. tr. 2. de Relig. Prælat. quæst. 3. cap. 7. n. 20. quos refert Diana par. 1. tr. 16. resol. 29. & par. 3. tr. 2. ref. 86. & par. 4. tr. 2. ref. 74. & alij apud Barbof. p. 2. all. 46. num. 14. & apud Bellett. loco. cit. tit. 1. S. 4. num. 4.*
- 9 Idem dicendum est secundum aliquos de Clericis pauperibus, quibus ad obtinendum beneficiũ simplex sufficit, vt tantum sciant, quantum simplex laicus, vel aliquantulum plus circa sacramenta, vt post Innoc. 10. And. Hofst. & alios dicit Bellet. loco. cit. n. 26. Ricc. in Prax. for. eccles. par. 4. ref. 75.
- 10 Vnde quoad obtenta beneficia tolerari possunt illitterati, si alias honestæ vitæ sint, & ex longo vsu, & rerum experientia sciant rectè exercere omnia ad suum officium spectantia, vel si charitatis perfectio scientiæ defectum suppleat *Camp. in. in Diuers. Iur. Can. rub. 5. cap. 5. num. 3. quem refert, & sequitur Barbof. d. par. 3. all. 63. numer. 5.* Si verò Parochialium ecclesiarum
- 11 Rectores sint, poterit eis ordinarius coadiutorem deputare cum assignatione partis fructuum pro sufficienti victu iuxta formam Concilij *sess. 21. de ref. cap. 6.* dicitur autem Parochus imperitus ad effectum vt illi dādus sit Coadiutor, quando esset inhabilis ad explendum ea, quæ incumbunt muneri, & oneri beneficij, quod obtinet *Ricc. in Prax. par. 4. ref. 553.*
- 12 Verum si reditus ecclesiæ Coadiutori, & Coadiuto nõ sufficienter, Parocho primum prouidendũ est, deinde in subsidium tenentur Parochiani ad alimenta Coadiutoris, vt d. Barbof. par. 3. all. 63. n. 15.
- 13 Si verò Parochus præter imperitiã turpiter, & scandalosè viuat, beneficio priuandus est seruata forma Concilij *d. cap. 6.*
- 14 His adde, quod si quis admissus fuerit ad sacros ordines, præsumitur habilis, & idoneus ad beneficia simplicia, ita vt nouo examine opus non sit *cap. accepimus de etat. & qual. Ricc. in Prax. for. eccles. p. 1. resol. 340.*

## S V M M A R I V M


- 1 Corpore vitiatus ad ordines non est promouendus.
- 2 An incurrat nouam irregularitatem, si absque dispensatione promouetur.
- 3 Quis dicatur corpore vitiatus.
- 4 Membram quomodo sumatur.
- 5 Censetur irregularis qui amisit partem membri, quæ aut deformitatem generet, aut inhabilem redderet ad officium exequendũ.
- 6 In defectu, qui vel impedit usum ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, solus Papa dispensat.



- 7 In quo casu dispensare potest Episcopus.  
 3 Ad quem spectet dispensare cum Regularibus in leui corporis, seu membri defectu.  
 9 Quale dicatur leue vitium.  
 10 An possit Episcopus dispensare in defectu notabili, si post susceptos ordines superuenerit.

## CAP. V.

An, & quando Episcopus dispensare possit cum corpore vitiat.

 Corpore vitiat regulariter ad ordines promoueri non debet ex duplici causa: primò propter inhabilitatem ad officium exequendum: secundò propter deformitatem ad scandalum tollendum. *cap. 1. & tot. tit. de Corp. vitiat. Sylu. i. 2. ver. corpore vitiat. nu. 2. Garc. de Benef. par. 7. cap. 12. nu. 3. & 30.* quamuis non incurrat nouam irregularitatem, si absque dispensatione promouetur, & in ordinibus susceptis ministraverit: quia irregularitas non est vera suspensio, nec censura ecclesiastica, & ideò celebrans illa irretitus nullam violat censuram, nec aliquid aliud, cuius violatio nouam infligat irregularitatem. *Nau. cap. 27. num. 194. & cons. 6. de etat. & qual. vbi etiam obseruat, quod Sedes Apostolica quando dispensat cum irregularibus, qui celeberrunt, solum dispensat super ir-*

regularitate, quam ante celebrationem incurrunt: idem d. *Camp. apud Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. al. 42. nu. 61.* dicitur autem corpore vitiat qui est mutilatus, vel debilitatus membro, id est qui caret membro, vel habet quidem membrum, sed inefficax, ut oculum cecum, manum aridam, & huiusmodi. *Sylu. loco cit. num. 1. Nau. d. cap. 27. num. 200. Bonacin. de Cens. disp. 7. q. 2. pun. 2. num. 1. & alij.*

4 Membrum verò secundum Doctores sumitur pro ea parte, quæ habet certum officium deputatū, siue distinctam operationem: & ideò neque digiti, neque dentes inter membra numerantur. *Clar. §. fin. q. 69. vers. itē quero*, vbi etiā addit, quod statutum puniens abscindentem membrum nō habet locum in abscidente alicui digiti. *Barbof. d. par. 2. al. 42. n. 36. & alij communiter.* censeretur tamē ad hunc effectum irregularis qui non totum membrum amisit, sed partem, quæ aut deformitatem scandalosam generet iuxta *cap. 1. de Corp. vitiat.* aut inhabile redderēt ad officium exequendum, puta si præcisus esset pollex, aut quiuis alius digitus requisitus ad consecrationem. *cap. fin. vbi glos. in ver. deformitatem eod. tit. capit. presbyterum de Cler. agrot. Grass. par. 1. decis. lib. 2. cap. 62. num. 2.*

6 Dico igitur primò, quod in defectu, seu vitio alicuius membri, seu partis membri, quod vel impedit vsum, & exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, solus Papa dispensat, *Doctores in cap.*



*c* ap. significauit de Corp. vitiat. Nauar. cap. 27. nu. 200. vers. Octauo. Garc. par. 7. cap. 12. num. 30. & alij, quos refert, & sequitur Barbof. d. all. 42. num. 57. siue huiusmodi vitium contractum sit ex culpa: siue sine culpa: siue ex causa iusta, siue iniusta: siue ex causa naturali, siue accidentali. cap. si euangelica 55. dist. Bonacin. de Censur. disp. 7. q. 2. pun. 2. nu. 1. Sylu. in ver. corpore vitiatus num. 3.

7 Dico 2. quod in leuibus vitijs, seu defectibus Episcopus dispensare potest, etiam si culpa præcesserit cap. 1. & ibi glos. in ver. susceptus de Corp. vitiat. Rot. in Romana pensionis 3. Junij 1583. Coram Card. Seraphino, quam refert Garc. par. 7. cap. 12. num. 30. Barbof. d. all. 42. num. 39. Ricc. in Prax. for. eccles. par. 2. ref. 271. & in tali casu Episcopus dispensat non solum quoad ordines minores, sed etiam quoad sacros, ut post Campan. dicit Barbof. loco cit. num. 59. & potest etiam conferre beneficium simplex, ut decisum refert Garc. par. 7. cap. 12. nu. 19. & 20. dum modo illius non sit incapax, ut si in cecitatem inciderit Less. de Iustit. lib. 2. cap. 34. n. 130. quæ refert Barbof. d. all. 42. nu. 56.

Quodnam verò dicatur modicum, seu leue vitium, & quæ notabilis deformitas, relinquitur arbitrio ipsius Episcopi Nau. d. c. 27. num. 200. vers. sexto. Sylu. ubi sup. nu. 2. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 73. & alij apud Bellett. Dissquis. cleric. par. 1. tit. 1. §. 7. num. 26.

8 Et hæc procedunt etiam quoad Regulares, exēptos, cum qui-

bus non Prælatus regularis, sed Episcopus, ad quem spectat ordines conferre, in huiusmodi defectu dispensat Sylu. loc. cit. nu. 2. Nau. d. cap. 27. nu. 200. Bonacin. ubi supra d. pun. 2. nu. 36. Ricc. in Prax. for. eccles. p. 2. ref. 271. & alij apud Barbof. d. all. 42. num. 61. licet contrarium teneat Peirin. Auil. Laym. Suar. & alij, quos refert, & sequitur Dian. par. 4. tr. 2. ref. 73:

9 Dicitur autem leue vitium, si quis careret vngula pollicis, dummodò ad frangendam hostiam sit in pollice ipso potens cap. 1. & c. fin. de Corp. vitiat. secundo si maculam habeat in oculo, quæ non inducat magnam deformitatem, neque scandalum pariat cap. cum de tua eod. tit. Garc. par. 7. cap. 12. num. 30. Bellett. tit. 1. d. §. 7. nu. 24. Tertio, si habens vtrumque oculum integrum careat visu oculi dextri, & sinistro, quantum satis est ad bene celebrandam, cernat: aut si careat visu oculi sinistri, & visu oculi dextri tantum valeat, ut sine indecora faciei ad populū conuersione legere possit, nam magis deformitas, quam defectus visus videtur in hoc expensus Nau. cap. 27. num. 199. vers. quarto Bonacin. d. disp. 7. q. 2. pun. 2. num. 2. Barbof. d. all. 42. num. 31. Dian. v. 4. tr. 2. ref. 73. vbi dicit, quod ad hoc inferuire potest missalis accommodatio. Quarto si careat auris cartilagine in modica quantitate, præsertim quādo potest capillis ita regi, ut valeat sine scandalo ministrare, ut dicunt DD. apud Bonacin. de Censur. d. disp. 7. q. 2. pun. 2. nu. 8. quia externa illa



cartilago non est membrum, sed potius tutela, & ornamentum auris Couar. Henriq. & alij apud Barbof. ubi supra num. 39. unde abscindentem huiusmodi cartilaginem non esse irregularem, tenent Doctores, quos refert, & sequitur Dian. p. 4. tr. 2. ref. 26. Quinto si absq. propria culpa claudus efficiatur d. cap. 1. ubi glos. de Corp. vitiat. c. si quis in infirmitate. 55. dist. nisi sit talis, quem oporteat cum baculo accedere ad altare, cap. nullus Episcopus & ibi glos. in ver. cum baculo de Consecr. dist. 1.

10 Si vero post susceptos ordines vitium aliquod, seu defectus corporis etiam notabilis superuenerit impedimentum praestans executioni alicuius actus, seu officij ordinis, tunc excepto altaris ministerio potest Episcopus in reliquis officijs, ad quae clericus non impeditur, dispensare cap. significauit ubi glos. in ver. nostra de Corp. vitiat. quod procedit, quando talis defectus ex propria culpa processit, tunc enim requiritur Episcopi dispensatio: caeterum si talis defectus absque culpa superuenerit, tunc licet Clericus non possit illum actum, seu officium, ad quod ob talem defectum redditur inhabilis, exercere, reliqua tamen officia iure proprio poterit peragere cap. presbyterum de Cler. egrot. & ideo Sacerdos, qui post Sacerdotium effectus est impotens ad missam celebrandam, potest confessiones audire, & alia officia exercere Nauar. conf. 6. de etat. & qualit. Bellett. tit. 1. S. 7. num. 27. & 28. Bonacin. loco cit. pun. 2. num. 25.

& alij apud Barbof. in cap. presbyterum num. 3. de Cler. egrot. & d. all. 42. num. 45. Garv. d. par. 7. c. 12. num. 18. & seq.

## SVM. M. ARIVM.

- 1 An infames, & criminosi ad ordines promoueri possint.
- 2 Notorium quomodo intelligatur.
- 3 Criminosi occulti ordinari non prohibentur.
- 4 Valet electio, & collatio beneficii facta criminoso occulto, secus si criminosus sit publicus.
- 5 Declaratur supradicta conclusio.
- 6 Iuris infamia ex quibus delictis contrahatur.
- 7 Quando infamia facti incurritur.
- 8 An infamia notoria Patris noceat filio.
- 9 Vilitas uxoris aliquando nocet viro.
- 10 An filij paganorum, vel Iudeorum sint irregulares.
- 11 Quando potest Episcopus Neophitum ad ordines promouere.
- 12 In Infamia Iuris solus Papa dispensat.
- 13 An huiusmodi infamia possit tolli per Principem laicum.
- 14 Et an possit auferri per Episcopum, & num. 15.
- 16 In Infamia facti potest Episcopus liberè dispensare.
- 17 Infamia facti tollitur etiam per emendationem vitae.  
Quando aliquis emendatus praesumatur, ibidem.
- 18 Infamia, qua ex hominum oblatione processit, contrario eorum dicto tollitur.



19 An condemnatus ad trirēmes sit irregularis.

Et quid si virgis casus fuit per sententiam Iudicis, ibidem.

### C A P. VI.

An Episcopus cum Infamibus, & criminosis ad ordines dispensare possit.



Ommunis est conclusio, quod infames, vel qui notorio crimine enormi, & depositione digno notantur, ad ordines promoueri non possunt ut tradūt DD. in c. extenore de Tēp. ordin. & in c. fin. de furt. notoriū autem dicitur quoad hoc, quod est confessum a parte in iudicio, vel super quo est lata sententia, quæ transiit in rem iudicatam, aut est adeo manifestū, ut nulla tergiversatione sceleri possit, veluti si illud sciat euidenter maior pars populi, vicinorum, aut Collegij Nau. in man. c. 25. nu. 73. & alij apud Bonacin. de Censu. disp. 7. q. 3. pun. 1. n. 2. vnde non sufficeret, quod probari possit, aut sit fama de eo, aut sit confessum extrajudicialiter, ut dicit eodem Nauar. cap. 27. n. 248. vbi citat S. Antonin. 3. par. tit. 28. capit. 6. §. 7.

3 Criminosi verò, & infames occulti si promoueri voluerint, non debent aliqua ratione prohiberi, quia nullum crimen occultum, quamuis graue, & enorme, inducit irregularitatem, nisi illud, de

quo à iure specialiter statuitur, ut homicidium Nau. ibidem d. n. 248. Henrig. lib. 14. cap. 5. num. 2. Valen. tom. 4. disp. 7. quæst. 19. pun. 3. Tolet. lib. 1. cap. 74. num. 3. Auil. de Censur. 7. par. disp. 4. dub. 7. concl. 1. & alij apud Garc. de Benefic. par. 7. cap. 8. num. 68. Barbof. in d. cap. extenore n. 3, de Tempor. ordin. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 93. vnde valida etiā esset electio, seu collatio beneficij facta infami, vel criminoso occulto, si tale crimen non inducat irregularitatem, seu inhabilitatē ad beneficia Nau. d. cap. 27. num. 251. vers. sexto, & conf. 1. num. 51. de Constit. & conf. 10. num. 3. de Simon. & alij, quos refert, & sequitur Garc. d. par. 7. cap. 8. nu. 47. & seq. vbi dicit, quod non est textus, qui conuincat nullitatem dictæ provisionis, quamuis possit irritari, ut dixit Rot. decis. 426. p. 1. Diuers. secus si criminosis sit publicus, quia tunc collatio esset irrita ipso iure, ut de publico Aleatore, & usurario est text. in cap. inter dilectos de excessi. Pralat. Rot. dicta dec. 426. Ric. in Collect. decis. 2772. Bonacin. de Censur. disp. 7. q. 3. pun. 1. num. 11.

5 Sed hæc intellige quoad infames infamia iuris, nam si sint infames infamia facti, semper erunt irregulares, cum hæc consistat in vitæ sordibus, & vilitate diulgata: & idè non potest esse occulta, ut post Felin. & Auil. obseruat Garc. d. cap. 8. num. 14. Barbof. de offic. & potest. Episc. par. 2. all. 43. nu. 18. in fin.

6 Iuris autem infamia contrahitur ex ijs delictis, quibus ecclesiastica



sticę, vel seculares leges infamiam adiungunt: infames enim secundum leges sunt etiam infames secundum canones *c. infames c. omnes verò 6. q. 1.* quale est crimen Apostasię: a fide, raptus mulierum, periurij in iudicio, maleficij, Simonię, Sodomię, hęresis, læsę maiestatis, Ienocinij, prostitutionis proprię filię, vel neptis, & alia crimina, quę recenset Barbof. *de officio & pot. Episc. par. 2. alleg. 43. nu. 25. Bonacin. de censur. disp. 7. q. 3. pun. 1. n. 2. Sylu. in ver. infamia n. 9. Bellet. tit. 1. §. 10. per tot.*

7 Infamia verò facti incurritur, cum opinio alicuius grauata est apud bonos, & graues viros super aliquo crimine Sylu. *in ver. infamia n. 2. Garc. d. par. 7. cap. 8. n. 14.*

Obserua tamen, quod infamiã non faciunt dicta paucorum, nec multarum leuium personarum, modò apud bonos, & graues non sit opinio læsa Sylu. *loco cit. n. 3. & alij communiter.* Quare ad inducendam huiusmodi infamiam facti quatuor conditiones a doctoribus requiruntur; prima, quod sit opinio communis: secunda vt ab ipsis pluribus voce manifestetur: tertia vt infamia sit apud bonos, & graues viros: quarta vt oriatur ex suspitione probabili, ita Sanchez. *in opusculo moral. lib. 6. cap. 3. dub. 4. quę refert Barbof. d. all. 43. n. 17.* His adde quintam conditionem, vt infamia sit de eo crimine, quod iuris infamiam annexam habet: crimina enim, quę iuris infamiam non

criminis, vt dicit Coninch. apud Bonacin. *de censur. disp. 7. q. 3. pun. 1. numer. 5.*

8 An verò infamia notoria Patris noceat filio quoad ordines suscipiendos? Resp. quod non nocet, nisi in casibus in iure expressis, quale est crimen hęresis: filius enim hęretici incurrit irregularitatem ex infamia patris, qui in hęresi non emendatus decessit cap. *quicumque d. hęretici, & cap. Statutum de hęret. in 6. Ricc. in Prax. for. eccles. p. 3. ref. 487.*

Limita in locis hęresi valdè infectis, vbi hanc irregularitatem ex infamia filij hęreticorum non incurrit, vt obseruat Tanner. *in 3. par. disp. 6. quęst. 10. dub. 10. nu. 201. quem refert, & sequitur Dian. par. 4. tr. 2. ref. 45.*

Limita 2. si filius natus esset ante lapsum parentis in hęresim, tunc enim non incideret in hanc irregularitatem: quemadmodum neque subiacet pœnis filius rei criminis læsę maiestatis natus ante delictum Bonacin. *de censur. disp. 7. q. 3. pun. 7. n. 9. vbi citat Nauar. Vgolin. Simanc. Less. & alios.*

9 His adde quod vilitas vxoris aliquando nocet viro: nam si duceret mulierem scurrilem, seruam, aut publicam fabularum actricem etiam virginem, ea mortua ordinari non debet cap. *si quis viduam 2. dist. 34. Nau. cap. 27. num. 196 Bellett. Disquis. Cleric. par. 1. tit. 1. §. 6. num. 34.*

10 Sed quæres, an filij Paganorum, vel Iudæorum sint irregulares? Resp. Affirmatiuè, modò in adulta ætate conuertantur ad fidem cap.

Nco-



- Neophytus 61. dist. Nauar. in man. cap. 27. num. 205. Bonacin. loco. cit. disp. 7. q. 2. pun. 1. num. 4. & 5. si vero baptizati sunt ab infantia nullā contrahunt irregularitatem, quia hæc irregularitas non est in iure expressa Dian. par. 4. tr. 2. ref. 50.*
- 11 Potest tamen Episcopus post dilationem aliquam temporis Neophytum, seu recentem in aetate ad fidem conuersum ad ordines promouere, si in rebus fidei bene instructus, & idoneus reperiatur; & tunc Episcopus non dispensat in irregularitate, sed declarat irregularitatem cessasse: iura enim certum tempus non præscribunt *Barbos. de offic. & pot. Episcop. p. 2. all. 10. n. 8. Bonacin. d. disp. 7. q. 2. pun. 1. nu. 5. Dian. d. ref. 50. vbi etiam dicunt, quod post decem annos à baptismo suscepto Neophytus non est amplius irregularis.*
- 12 In infamia vero iuris solus Papa dispensat *Nau. cap. 27. nu. 204. Barbos. p. 2. all. 43. n. 31. potest tamē*
- 13 infamia iuris tolli etiam per Principem, qui superiorem non recognoscat *Sylu. in ver. infamia n. 16. & seq. vbi etiam dicit, quod restitutus per Principem si egerit pœnitentiam, non indiget alia dispensatione, & ita etiam tenent alij apud Barbos. d. all. 43. num. 20, Bonacin. d. disp. 7. q. 3. pun. 1. num. 6. vbi obseruat, quod tunc Princeps laicus tantummodò indirectè dispensat super huiusmodi irregularitate, seu impedimento, quatenus aufert infamiam, qua sublata tollitur irregularitas.*
- 14 Ità etiam infamia huiusmodi potest tolli per Episcopum dispensando in adulterio, & alijs minoribus delictis *iuxta capitulum atq. Clerici §. 1. de Iudic. nam dispensando directè super delicto, quod non sit grauius adulterio, indirectè, & accessoriè infamiam demit Sylu. in ver. infamia num. 16. Nau. d. cap. 27. num. 204. Bonacin. loco cit. nu. 6. vers. tertio.*
- 15 Addit Henricus quem refert *Barbos. d. all. 43. n. 31. quod Episcopus superueniente infamia iuris dispensare potest, vt talis infamis retineat vsum ordinum, & beneficia, quamuis nequeat dispensare, vt de nouo obtineat.*
- 16 In infamia verò facti liberè potest Episcopus dispensare *Nauar. d. cap. 27. nu. 204. Mirand. in man. Pralat. to. 2. q. 8. ar. 5. concl. 1. Ioan. à Cruc. de stat. Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 17. concl. 2. & alij apud Barbos. d. p. 2. all. 43. nu. 31. vbi etiam subdit, quod si Episcopus infamem, & turpem personam ordinauerit in Clericum intelligitur cum eo dispensasse circa infamiam in casibus sibi à iure permisissis.*
- 17 Tolli etiam potest hæc facti infamia per emendationem vitæ *Bonacin. loco cit. num. 5. & 6. Dian. p. 4. tr. 2. ref. 93. & alij cõmuniter. sed ad probandum, aliquè esse emendatum non satis est, illum esse cõtritum, & confessum, sed exterior requiritur satisfactio; & ideò non aliter emendatus præsumitur, quàm si trium annorum interuallo ab improbè factis se abstinerit, & in relictis, honestisque actionibus sese exercuerit *Mascard. de Probat. concl. 465. nu. 10. quem refert Barbos.**



- bos. d. alleg. 43. num. 23. praterquam in reatu periurij, cuius emendatio non detrahit infamiam inde prouenientem cap. testimonium de Testib. Vnde infamiam iam emendatum posse absque alia dispensatione ordines suscipere, & susceptos exercere dicit Bonacin. d. disp. 7. q. 3. p. 1. n. 7. & seq.*
18. Addit Abb. Campan. Suar. & alij apud Barbof. d. all. 43. n. 21. infamiam, quae ex hominum ablocutione processit, contrario eorum dicto tolli.
19. Vltimo obseruat Ricc. decif. 119. par. 1. Homobon. in cons. Casuum. Conscien. vol. 1. par. 4. resp. 158. quos refert. & sequitur Diana p. 4. tr. 2. ref. 83. eum, qui damnatus ad triremes in eis steterit, posse absque alia dispensatione ad ordines promoueri, & in susceptis ministrare, quia non est in iure expressum, condemnatum ad remigandum contrahere infamiam; quod intellige, dummodo crimen, pro quo damnatus fuit, iuris infamiam non habeat annexam, vt supra diximus cum Bonacin. de censur. d. disp. 7. q. 3. p. 1. n. 5. contrarium tamen tenet Campan. in Divers. Jur. can. rub. 11. cap. 18. nu. 16. Lezan. in sum. q. 11. reg. cap. 16. n. 32. & alij apud Barbof. d. p. 2. all. 43. n. 15. qui asserunt, talem esse irregularem, idemque de eo, qui virgis caesus fuit praecedente Iudicis sententia, dicit Nau. cof. 43. de Tempor. ordin.
2. An expositi censendi sint legitimi.
3. Potest Episcopus cum illegitimis quoad minores ordines, & simplex beneficium dispensare.
4. An, & quando Episcopus possit dispensare cum illegitimo quoad Canoniatum ecclesiae Collegiatae, & dimidias portiones ecclesiae Cathedralis.
5. Et an possit in tali casu quoad Canoniatum eiusdem ecclesiae Cathedralis dispensare.
6. Episcopus non potest cum illegitimo dispensare super pluralitate beneficiorum simplicium.
7. Dispensatus a Papa ad beneficium curatum, si unum iam fuerit assequutus, non potest vigore eiusdem dispensationis alterum assequi.
8. Episcopus scienter promouens illegitimum an intelligatur cum eo dispensasse.
9. An Episcopus ex iure nouo Concilij Tridentini sess. 24. de ref. c. 6. possit dispensare cum illegitimis ad maiores ordines, & beneficia curata.
10. Et an possit dispensare, si illegitimus iam ordinatus fuerit.
11. An legitimatus censeatur factus habilis ad ordines, & beneficia.
12. An per ingressum Religionis tollatur irregularitas ex defectu natalium.
13. Et an tollatur irregularitas ex usu ordinis contracta.
14. An illegitimus per professionem habilitetur ad Praelaturas.
15. Si professio est nulla, non tollitur irregularitas ex defectu natalium.
16. An

## S V M M A R I V M.

I. Illegitimi ab ecclesiasticis ordinibus arcentur, & quare.



- 16 *An eis qui à religione reuincant in irregularitate ex defectu natalium.*
- 17 *An Episcopus possit dispensare cum illegitimo iam in sacris constituto ad Canonicatum ecclesie Cathedralis.*
- 18 *An Canonicus in sacris Notus in Synodo votum habere possit.*
- 19 *An Episcopus possit cum illegitimo in sacris constituto dispensare ad beneficium curatum.*

## CAP. VII.

An illegitimi ad ordines admitti possint.

- 1 **M**nes illegitimi siue Mâzeres, siue spurij, siue nothi, siue naturales ab ecclesiasticis ordinibus regulariter arcentur, ut in cap. 1. de fil. Presbit. cap. innotuit de elect. c. per venerabilem Qui fil. sint legit. idque sancitum fuit primò propter dignitatem clericalem, quæ huiusmodi vilibus personis conferri non debet cap. inter dilectos de excess. Prelat. secundò propter detestationem criminis paterni cap. vergentis de Heret. tertio quia tales paterna crimina imitari consueuerunt c. si quis cum militibus 6. q. 1. ut rectè notat Sylu. in ver. illegitimus num. 1.
- 2 Filij verò expositi, quorum parentes ignorantur, illegitimi non censentur, tum quia in dubio facti nullus præsumendus est irregularis excepto facto homicidij, tum etiam quia melior est cõditio possidentis Vulp. in Prax. Iudic. for. ec.

cles. cap. 47. num. 32. & alij communiter: quamuis alij contrarium sentiant, quia ut plurimum filij illegitimi, non autem legitimi exponi solent, & idè hanc sententiam uti probabiliorem sequitur Bonacin. de censur. disp. 7. q. 2. pun. 3. n. 10.

Potest autem Episcopus ex iure communi cum illegitimis dispensare quoad minores ordines, & simplex beneficium capit. 1. de fil. Presbyt. in 6. immò etiam quoad Canonicatum ecclesie Collegiate, & dimidias portiones, seu inferiora beneficia ecclesie Cathedralis, modò ordinem sacrum priuilegio consuetudine, aut statuto non requirant Bellett. disquis. cleric. p. 1. tit. 1. §. 3. num. 26. Garc. de Benef. p. 7. c. 2. num. 69. Vulp. in Prax. Iudic. cap. 47. nu. 15. & 16. & alij apud Dian. par. 4. tr. 2. ref. 64. Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 45. n. 20. & seq. vbi hanc facultatem extendunt etiam ad Capitulum sede vacantes; nequit tamè cum talibus ad maiores ordines, vel beneficia curam animarum habentia dispensare, ut in d. cap. 1. de fil. presbyt. in 6. idè-

que dicendum est de alijs beneficijs, quibus ordo sacer annexus est, ut sunt hodiè Canonicatus ecclesie Cathedralis ex Concilio Tridentino sess. 24. de ref. cap. 12. Zerol. in Prax. p. par. ver. Canonici §. 3. Henriq. lib. 14. cap. 8. §. 10. Less. de iustit. lib. 2. cap. 34. num. 86. & alij, quos refert & sequitur Garc. d. par. 7. cap. 2. num. 65. Vulp. d. cap. 47. nu. 15. & 16. quicquid dicat glos. in d. cap. 1. ver. beneficium Nauar. conf. 4. num. 4. de fil. Presbyt. & alij existimantes, posse Episcopum dispensare



spensare etiam ad Canonatum ecclesie Cathedralis, quorum opinio procedit tantum de iure antiquo, ut d. *Vulp. ubi supra*, & alij apud *Barbos. d. all. 45. nu. 32. & 33.*

6 Neque potest Episcopus dispensare cum illegitimo super pluralitate beneficiorum simplicium, vt plura possit retinere, quia ad vnũ simplex dispensatio à iure illi conceditur in d. c. 1. de *fl. Presbyt. in 6.* quod loquitur in singulari, & ideo cum simus in materia prohibitiua non extenditur ad plura *Sylu. in ver. beneficium 3. num. 17. & alij apud Gar. loco cit. p. 7. cap. 2. nu. 50.*

7 Immò etiam si dispensatus fuerit à Papa, vt possit habere quodcunque beneficium curatum, & virtute dispensationis vnũ fuerit assequutus, non poterit illo renunciato vigore eiusdem dispensationis alterũ assequi *Barbos. d. all. 45. nu. 36. in fin.*

8 Quare si Episcopus sciens promouet illegitimum, seu alium, qui de iure promoueri non potest, intelligitur cum eo dispensasse in casibus, in quibus potest dispensare, quia consensus, non tam ex verbis, quam ex factis elicitur *l. de quibus ff. de leg. Oldrad. conf. 329. num. 4. & 5. & conf. 330. per tot. Nat. conf. 402. num. 29. Roman. conf. 216. num. 7. Maiol. de Irregul. cap. 51. num. 8. Henriq. in Sum. lib. 14. cap. 17. §. 4. lit. P. & alij, quos refert Barbos. par. 2. d. all. 45. num. 37.* præsumitur autem, ordinarium habere certam notitiam impetrantium suæ Diœcesis, cum præsumatur eam frequenter visitare *idem Barbos. par. 3. all. 58. in princ.*

Contrarium tamen tenet Nauar. *conf. 4. n. 2. de Simon. Bellet. d. tit. 1. §. 3. n. 35. Vulp. in Prax. Iudic. d. c. 47. nu. 23.* qui hanc differentiam esse dicunt inter Papam, & inferiorem, quod Papa faciendo aliquid, quod non potest valere propter aliquem defectum iuris, nisi dispenset, si sciat illum defectum, videtur tacite dispensare, non autem inferior eo, nisi expressè dicat, se dispensare.

9 Sed quæres, an Episcopus ex iure nouo Concilij Tridētini *sess. 24. de ref. cap. 6.* possit dispensare cum illegitimis ad maiores ordines, & beneficia curata? affirmatiuè respondent nonnulli Doctores, tum quia licet hæc irregularitas causet in homine quemdam defectum, tamen intrinsecè dependet à crimine Parentum, & ideo huiusmodi crimen, si occultum sit, comprehenditur sub decreto Concilij: tum etiam quia licet dispensatio postquam est concessa, in particulari casu sit odiosa, & strictè interpretanda, potestas tamen dispensandi est fauorabilis, & latissimè interpretanda *capit. fin. de Simon. ita Auila in tract. de Censur. par. 7. disp. 3. dub. 7. cuius sententiam probabilem dicit Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 14. num. 117. & alij apud Dian. par. 2. tract. 1. miscell. ref. 21. & par. 4. tr. 2. ref. 64. Layman. in Theol. mor. lib. 1. tract. 5. cap. 5. num. 2.*

Alij tamen negant, tum quia talis irregularitas non prouenit ex delicto, sed ex defectu; quia licet Parentes filium illegitimum sine peccato in amentia genera-



rept, etiam fieret irregularis, tum etiam quia Concilium non loquitur de irregularitate orta ex delicto alieno, sed proprio, ita *Nau. cap. 27. num. 194. in fin. Piafco. in Prax. par. 1. cap. 1. nu. 56. Layman. loco cit. Vulp. d. cap. 47. num. 18. & alij, quos refert, & sequitur Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 39. num. 44. vers. undecimo. Dian. p. 4. tr. 2. ref. 64. & par. 7. tr. 2. ref. 24. ubi citat Marchin. de Sacram. ordin. tr. 1. par. 10. cap. 1. diffic. 3. num. 14. & hæc est communis, & probabilior sententia.*

10. Observant autem Doctores, quod si illegitimus iam ordinatus fuerit siue bona, siue mala fide occultum natalium defectum fabricando, potest Episcopus in tali casu dispensare, ut in susceptis ministret *ex cap. nisi cum pridem S. persona de Renunc. ita Layman. loco cit. num. 2. Nau. conf. 4. n. 2. de fil. Presb. Dian. p. 4. tr. 2. ref. 64. & p. 7. tr. 2. d. ref. 24.*
11. Quæres 2. an legitimatus censetur factus habilis ad ordines, & beneficia? Resp. 1. quod si est legitimatus a Papa, censetur habitatus ad ordines, & beneficia, & etiam ad dignitates, & ad alia omnia, ad quæ se extendit potestas legitimantis ac si reuera esset legitimus *cap. per venerabilem, & ibi DD. Qui fil. sint legit.* legitimatus verò per rescriptum Principis intelligitur habitatus ad honores, & officia secularia, non verò ad ordines, seu beneficia *Vulp. in Prax. Iudic. c. 47. n. 11. Bonacin. de Censur. disp. 7. q. 2. pun. 3. nu. 14.*
- Resp: 2: quod legitimatus per

subsequens matrimonium absque alia dispensatione potest promoveri ad ordines sacros, dignitates, & alia beneficia etiam ad Episcopatum, si tempore conceptionis parentes apti fuerint ad legitimum matrimonium contrahendum *glos. in ver. coniugata in c. innotuit. de elec. Sylv. in ver. illegitimus q. 3. & hanc esse communem dicit Vulp. d. cap. 47. n. 30.* non tamen fieret habilis ad dignitatem Cardinalatus in tali casu, ut ex *Constitutione Sixti V. incip. Postquam verus, edita tertio Nonas Decembris 1588. observat idem Vulp. loco cit.*

12. Quæres 3: an irregularitas ex defectu natalium tollatur per ingressum religionis? Resp: affirmatiue *ex c. 1. de fil. Presby.* quod intellige, postquam illegitimus solemnem professionem emisit, per quam verus Religiosus efficitur, tunc enim eo ipso redditur aptus ad omnes ordines etiam sacros suscipiendos *Barbof. & alij in d. cap. 1. & ratio est quia filius illegitimus per professionem in approbata religione emissam a iure legitimatur, & ideo monasterium ex persona talis filij in religionem ingressi eius Patri ab intestato succedit iuxta l. communium C. de Natural. lib. Ricc. in Prax. for. eccl. p. 3. ref. 586. ubi citat Bald. in l. 1. C. de sacros. eccl. Duenn. in reg. 366. in 3. limit. Tiraquell. de Pia caus. priuileg. 29. Mansil. in singul. 223. Paleot. in tract. de Nothis, & Spur. c. 45. num. 6. Euerard. conf. 239. num. 6.*

Observa tamen, quod hæc irregulari-



- regularitas in Societate Iesu tollitur per emissionem trium votorum simplicium post biennium, quia per illa quis efficitur vere religiosus, *vt post Turrian. de Censur. lib. 9. disp. 71. dub. 2. notat. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 66.*
- 13 Addit Sanchi. in *Summ. tom. 2. lib. 5. cap. 5. nu. 10. Bartholom. de Vecchis in Prax. Nouit. disp. 13. dub. 6. num. 3. quos refert Dian. loc. cit. ref. 65.* quod per professionem Religionis deletur etiam irregularitas ex usu ordinis contracta, vt si illegitimus in saeculo absque dispensatione ad ordines promotus fuisset.
- 14 An vero illegitimus per professionem in Religione factam habilitetur ad Praelaturas intra Religionem, vel extra eam obtinendas? negatiue respondeo attento iure communi, *vt notant communiter Doctores in d. c. 1. de fil. Presbyt. Bellet. tit. 1. S. 3. num. 46. & alij;* & ideo ad eas promoueri non potest absque dispensatione Papae *vt d. glos. ibidem in ver. ad Praelationem Sylu. in ver. Illegitimus num. 8.*
- Potest tamen huiusmodi dispensatio concedi etiam a superioribus Regularibus ex priuilegio Sixti IV. & Iulij secundi, *vt dicit Sorb. in ver. Dispensatio S. 12. & 13. & in Annot. vers. Ideo Iulius Papa,* quod priuilegium adhuc durat non obstantibus constitutionibus Sixti V. quarum altera incipit *Cum de omnibus,* altera, *Ad Romanu spectat,* quia fuerant reducta ad terminos iuris per aliam constitutionem Gregorij XIV
- qua incip. Circumspecta,* in qua conceditur Praelatis singulorum ordinum, vt possint dispensare cum suis subditis illegitimis ad Praelaturas, & dignitates in Capitulo tamen generali, vel prouinciali, *vt refert Quarant. in ver. Monasteria, & Conuentus Barbos. in d. cap. 1. n. 5. de fil. Presbyt. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 65.*
- Verum per huiusmodi dispensationem a Praelatis Regularibus obtentam illegitimus solum habilitatur ad Praelationes in Religione, non autem ad dignitates extra illam obtinendas *Ricc. in Prax. for. eccles. p. 3. ref. 586. & ideo non potest esse Vicarius Episcopi propter eius praeheminentiam, & iurisdictionem, vt dicunt Doctores apud Barbos. in d. capit. 1. num. 8. & de offic. & pot. Episc. p. 3. all. 54. num. 13. nec possit beneficium curatum extra religionem obtinere Sylu. in ver. illegitimus num. 8. immo si dispensatus fuerit in vna Religione, & deinde aliam intret, non poterit in secunda religione obtinere Praelaturas absque noua dispensatione, vt resoluunt Fr. Emman. & Campan. apud Barbos. in d. cap. 1. nu. 6. de fil. Presbyt.*
- 15 Haec tamen limita quando professio esset nulla ex aliquo capite, tunc enim irregularitas huiusmodi ex defectu natalium non tollitur: quia haec non est vera professio, *vt post Ricc. dicit Barbos. loco proxime citato num. 9. & hunc esse communem sensum Doctorum obseruat Dian. par. 4. tr. 2. ref. 66.*
- 16 An vero eieci a Religione re-



incidant in irregularitatem ex defectu natalium? negatiuè respondent Doctores apud Dian. p. 4. r. 2. ref. 66. quibus adde Barbof. de offic. & pot. Episc. p. 2. all. 45. n. 38. vbi idem dicit quoad dimissos ex Societate Iesu: quamuis contrarium in hoc teneat Turrian. de Censur. lib. 9. disp. 71. dub. 2. vbi quis dimitteretur à Societate ante susceptionem ordinis, & hanc sententiam sequitur etiam Dian. loco cit.

Notandum tamen est, quod hodiè eieci à Religione, & extra illam degentes sunt perpetuò suspensi ab exercitio ordinum subblata ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, ac moderandi ex decreto Sac. Congreg. sub die 21. Septem. 1624. quod refert Dian. vbi supra.

17 Quæres 4. an Episcopus possit dispensare cum illegitimo iam in sacris constituto ad Canonicatum ecclesiæ Cathedralis? Resp. affirmatiuè, tum quia ex communi Doctorum sensu ideò Episcopus non potest hodiè dispensare ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, quia non potest dispensare ad sacros ordines, quos huiusmodi Canonicatus habent annexos ex dispositione Concilij Tridentini sess. 24. de ref. cap. 12. ergo poterit Episcopus dispensare, si illegitimus iam fuerit dispensatus quoad ordines sacros, & in hoc casu admitti potest opinio Nauar. d. conf. 4. nu. 4. de fil. Presbyt. tum quia Canonicatus huiusmodi dicuntur beneficia simplicia, vt d. glos. in cap. 1. ver. beneficium de fil.

fil. Presbyt. in 6. Nau. d. conf. 4. eod. tit. & communem dicit Ricc. in Prax. for. eccles. par. 1. ref. 403. constat autem Episcopum dispensare posse cum illegitimo ad simplex beneficium ex eodem textu in d. cap. 1. tum etiam quia licet illegitimus sit inhabilis ad obtinendum pensiones, tamen si dispensatus fuerit ad Clericatum, non indiget aliqua dispensatione ad eas obtinendas, quia illegitimus non est inhabilis ad pensiones, nisi ratione Clericatus, vt dixit Rot. in Veronen. Pensionis 3. Iunij 1572. coram Robusterio, & in Casaravgustana pensionis 19. Febr. 1590. coram Gypso, & in Colimbrien. pensionis 11. Febr. 1598. coram Seraphino, quas refert Ricc. in Prax. vt supra par. 1. ref. 194. Bellett. Disquis. Cleric. par. 1. tit. 1. §. 3. nu. 29.

18 Censuit tamen Sac. Congreg. Concilij, Canonicum in sacris non in Synodo vt Canonicum votum habere non posse, prout refertur inter decis. nouiss. Diuers. par. 4. dec. 65.

Verum ad huiusmodi Canonicatus tales illegitimi admittendi non sunt, nisi cum causa, & eorū suffragantibus meritis, puta si essent viri insignes doctrina, vel bonitate iuxta cap. innotuit §. multa enim de elect.

19 An verò possit Episcopus cum tali illegitimo in sacris constituto dispensare ad beneficium curatū, vel ad dignitates, & personatus? Respondeo negatiuè, quia sic expressè prohibetur in cap. fin. de fil. Presbyt. & cap. 1. ead. tit. in 6.



## S V M M A R I V M .

- 1 Homicidium est triplex, necessarium, voluntarium, & casuale, & num. 2. 3. & 4.
  - 5 Episcopus dispensare non potest cum homicida voluntario.
  - 6 Nec Prælati regularis in hoc casu potest cum suis subditis dispensare.
  - 7 An possit Episcopus cum tali homicida dispensare quoad retinendum beneficium antea obtentum.
  - 8 An homicidium, & irregularitas priuent homicidam beneficio ipso iure.
  - 9 An Episcopus possit in homicidio casuali dispensare.
  - 10 Et an possit dispensare in homicidio commisso causa defensionis non seruato moderamine inculpate tutelæ.
  - 11 Et an in irregularitate contracta ex mutilatione alicuius membri.
  - 12 An possit Episcopus dispensare in homicidio percutientis prægnantem sine intentione causandi abortum.
  - 13 Et an in homicidio commisso ex repentina ira, vel rixa.
  - 14 Quid si quis mandauit committi homicidium in persona vnius, & commissum fuit in persona alterius.
  - 15 Et quid si vertit infirmum intentione acceleranda mortis, ne tam diu patiatur.
- An incurrat irregularitatem reuolvens infirmum, vt facilius somnum, vel cibum capiat, si

mors ex aliqua culpa acceleretur, ibidem.

- 16 An Episcopus dispensare possit in irregularitate proueniente ex homicidio factò a ministris iustitiæ, vel in bello iusto, & numer. 17. & 18.
- 19 Quinam incurrant irregularitatem ex defectu lenitatis.
- 20 An imminente magno scandalo, vel urgente alia magna necessitate possit Episcopus cum homicida voluntario occulto dispensare.

## C A P. VIII.

An Episcopus dispensare possit cum homicida quoad ordines suscipiendos.



Ro maiori intelligētia notandū est, quod triplex est homicidiū, aliud enim est necessarium, aliud voluntarium, aliud casuale; homicidium necessarium est quod vitæ mortis causa committitur seruato moderamine inculpate tutelæ iuxta l. 1. C. vnde vi, & clem. vn. de Homicid. volunt. dicitur autē quistali moderamine vti, quando non poterat se defendere, aut tueri, nisi eo modo, quo se defendit iuxta tex. in d. clem. vn. & DD. in d. l. 1. C. vnde vi. quod circa tria consistit, scilicet circa modum, vt si quis fuisset insultatus sine armis, non poterit se defendendo percutere cum armis: secundò circa tempus, vt fiat in continentí, & illicò factò insultu: Tertio circa causam,



vt tanta, & talis propulsio sit, quanta est necessitas defensionis, & non vltra *Clar. in §. homicidium vers. scias tamē, & alij apud Vulp. in Prax. Iudic. cap. 1. num. 41. & de hoc non loquimur, quia ex tali homicidio nulla insurgit irregularitas, vt expressè constat ex dicta clem. vn. de Homic. volunt.*

3 Homicidium voluntarium dicitur quod est illicitum, intentum siue volitum in se *Nav. in man. c. 27. nu. 240. Bonacin. de censur. disp. 7. q. 4. pun. 8. num. 1. Dian. par. 4. tr. 2. resol. 33. Garc. de benef. par. 7. cap. 11. num. 44. Ricc. in Prax. for. eccles. par. 3. ref. 266. & ideo necesse est, vt in illo perpetrando adsit voluntas directa, & expressa, & non sufficit, vt sit voluntarium in causa *Turrian. de censur. lib. 9. disp. 63. dub. 1. quem refert Dian. loco cit. ref. 72. requiritur etiā in hoc plenus vsus rationis, vt d. Ricc. in Prax. vt sup. par. 1. ref. 461. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 67. Vnde si furiosus, infans, vel dormiens hominem occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit d. Clem. vn. de Homic. volunt.**

4 Homicidium verò casuale dicitur quod non est formaliter intentum, vt d. Bonac. in tract. de Restit. disp. 2. q. vlt. sect. 2. pun. 2. num. 1. & est quando præter intentionē contingit propter exercitium rei illicitæ, vel etiam licitæ non adhibita diligentia *S. Th. 2. 2. q. 64. art. 8. Sylu. in ver. homicidium 2. num. 1. nam si quis det operam rei licitæ debitam adhibens diligentiam, & ex hoc homicidiū sequatur, non incurrit homicidij reatum secundum S. Th. loco cit. nec incidit in*

irregularitatem *cap. lator cap. dilectus filius, & cap. ex litteris de Homic. volunt. immò addūt nonnulli Doctores, quod si adhibeatur debita diligentia, non incurritur irregularitas, etiam si homicidium sequutum fuerit dando operam rei illicitæ, tum quia nullo iure expressum est, ex homicidio huiusmodi provenire irregularitatem, tum quia in hoc casu non intercedit culpa homicidii, cum ratione diligentie præstitæ homicidium non censeatur plene voluntarium, ita Hériq. Hurtad. Coninch. & alij apud Dian. part. 4. tr. 2. ref. 20.*

5 Dico igitur 1. quod licet ante Concilium Tridentinum posset Episcopus dispensare cum homicida voluntario quoad beneficium simplex, & ordines minores, vt ex *cap. 2. de Cleric. pugn. in duell. colligit Nauar. conf. 45. de Homicid. hodiè tamen nullo modo dispensare potest, etiam si homicidium huiusmodi sit occultum, vt constat ex eodem Concilio sess. 14. de ref. c. 7. & sess. 24. cap. 6. Nauar. in man. c. 27. nu. 240. in fin. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 31. Sayr. de censur. lib. 6. cap. 7. num. 14. & 15. & alij apud Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. alleg. 39. num. 59. Piasc. in Prax. Episcop. p. 1. cap. 1. num. 60. vers. regulariter Ricc. in Prax. for. eccles. par. 1. resol. 473. & p. 3. ref. 264. Garc. de Benefic. par. 7. cap. 6. num. 5. Dian. par. 7. tr. 2. ref. 33. & alij communiter.*

6 Vnde neque potest Prælati regularis cum suis subditis in hoc casu dispensare *Sorb. in ver. dispensatio in fin. quicquid dicat Portel. in dub. regul. ver. dispensare num. 8. & alij*



alij apud Dian. par. 3. tr. 2. ref. 45. & par. 7. tr. 5. ref. 21.

7 Putant tamen nonnulli Doctores, quod licet non possit Episcopus dispensare cum tali homicida quoad beneficium obtinendum, potest tamen, quando delictum est occultum, dispensare quoad retinendum beneficium antea obtentum, siue sit simplex, siue curatum, dummodo per alium illud exerceat, ita Nauar. cons. 45. num. 1. de Homicid. Marchin. de sacram. ordin. tract. 1. par. 9. cap. 1. diff. 3. num. 3. Alzed. in Prax. Episc. par. 2. cap. 6. n. 7. & alij apud Dian. par. 7. tr. 2. ref. 34. sed hanc sententiam rejicit Barbof. loco cit. d. par. 2. all. 39. num. 61. ubi ponderat illa verba Concilij, sed omni ordine, ac beneficio, & officio ecclesiastico perpetuo careat, subdit tamen ibidem, quod hoc decretum Concilij non extenditur ad pensiones.

8 Addunt alij, quod homicidium & irregularitas non priuant homicidam suo beneficio ipso iure, & ideo Clericus homicida antequam condemnatur de homicidio, licite retinet beneficiu, quod ante irregularitatem obtinuerat cap. Clericis Ne cler. vel mon. cap. ex litteris de excess. prelat. Io. Franc. Leo in Thef. for. eccles. par. 3. cap. 4. Graff. p. 2. decis. lib. 2. cap. 62. nu. 11. Barbof. in cap. veritatis num. 3. de Dol. & contum. immo posse clericum etiam retinere beneficium, quod impetravit post irregularitatem incursum dicit Dian. par. 4. tract. 2. ref. 79. ubi citat Sylu. in ver. excommunicatio 4. num. 4.

9 Dico 2. quod in homicidio ca-

suali publico Episcopus dispensare potest quoad minores ordines, & simplex beneficium cap. ad audientiam de Homicid. & cap. 2. de Cler. pugn. in duell. Nauar. in man. cap. 27. n. 240. in fin. vbi addit, posse Episcopum in tali casu etiam dispensare ad retinendum curatum iam obtentum, licet non ad obtinendum; Si vero sit occultum, poterit dispensare cum tali homicida etiam quoad ordines sacros, & beneficia curata obtinenda vigore Concilij Tridentini d. sess. 24. c. 6. vbi tantum excipitur homicidium voluntarium ita Graff. p. 1. lib. 2. cap. 62. nu. 10. Piasec. in Prax. Episc. par. 1. cap. 1. num. 57. & alij, quos late congerit Barbof. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 39. n. 47. & seq. Dian. par. 7. tr. 2. ref. 31.

Videtur tamen obstare aliud decretum eiusdem Concilij sess. 14. de ref. cap. 7. ibi, si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narratur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & Altaris ministerium, & beneficia quacunque, ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeat, committatur loci ordinario, aut ex causa Metropolitanano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit. Vnde circa intellectum huius textus varij varia dixerunt, ut notat Barbof. d. p. 2. all. 39. num. 54. sed vide Bonacin. de censur. disp. 7. q. 4. pun. ult. nu. 9. vbi dicit, Concilium d. cap. 7 non agere de homicidio occulto, sed publico.



- blico quoad obtinendam dispensationem in foro externo, idque colligit ex illis verbis, *qui non nisi causa cognita, & probatis precibus &c.*
- 10 Ex dictis inferunt Doctores, Episcopum dispensare posse in homicidio commisso causa defensionis non seruato moderamine inculpatae tutelae, quia tale homicidium, licet non sit merè necessarium, habet tamen vim necessarii, quatenus vitanda mortis causa fit *Nau. in man. cap. 27. num. 239. vers. secundo Piasec. d. par. 1. cap. 1. n. 57. Dian. par. 7. tr. 2. ref. 29. Ricc. in Prax. p. 3. ref. 266. Barbof. d. all. 39. nu. 53. Bonacin. de censur. disp. 7. q. 4. pun. ult. numer. 9.*
- 11 Inferunt 2. posse Episcopum dispensare in irregularitate contracta ex mutilatione alicuius membri, quia mutilatio non est homicidium *Piasec. loco citato d. nu. 57. & ita censuit Sac. Cong. teste Ricc. in Prax. for. eccles. par. 1. ref. 457. Bonacin. loco cit. num. 11. & hanc esse communem dicit Dian. par. 4. tr. 2. ref. 71. & p. 7. tr. 2. ref. 28. vbi etiam notat, mutilantem membrum inimici iam mortui non incurrere irregularitatem, quia membrum mortui non dicitur, nec est simpliciter membrum.*
- 12 Inferunt 3. Episcopum posse etiam dispensare in homicidio percussantis praegnantem in utero sine intentione causandi abortum, quia, vel hoc casuale est, licet punibile, *vt d. Ricc. in Prax. par. 1. ref. 458. & p. 3. ref. 266. Barbof. loco cit. num. 50. Dian. par. 7. tr. 2. ref. 30. vel potius mixtum ex casuali, & voluntario;*
- cum enim non sit ex proposito directo, & formali, simpliciter, ac perfecte voluntarium dici non potest *S. Th. 2. 2. q. 64. art. 8. Nauar. cap. 27. numero 219.*
- 13 Inferunt 4. Episcopum posse dispensare in homicidio voluto non ex consilio, aut matura deliberatione factio, sed ex repentina ira, vel rixa *Anila de Censur. p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 1. & sect. 5. dub. 5. concl. 2. Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 14. num. 111. & alij, quos refert, & sequitur Dian. par. 1. tr. 15. ref. 19. & par. 4. tract. 2. ref. 72. & par. 7. tr. 2. ref. 32. vbi dicit, quod Concilium d. sess. 14. cap. 7. requirit, vt homicidium fiat animo deliberato, pro vt etiam respondit Sac. Cong. teste Barbof. par. 2. all. 39. nu. 52. Sed contrarium tenet Molin. Suar. & alij apud Bonacin. d. disp. 7. q. 4. pun. ult. numero 6. quia licet rixa inopinatae orta sit, potest tamen quis libera voluntate directe intendere mortem alterius; & ideo hanc sententiam esse probabiliorem dicit idem Diana par. 1. tract. 15. d. resolutione 19.*
- 14 Inferunt 5. posse Episcopum dispensare cum eo, qui mandauit, committi homicidium in persona vnius, sed fuit commissum in persona alterius, vel ipsius mandatarij: quia tale homicidium non est proprie voluntarium respectu mandantis, sed casuale culpabile *Garc. de Benef. p. 7. cap. 11. num. 44. & alij apud Barbof. d. p. 2. alleg. 39. nu. 52. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 12. & par. 7. tr. 2. ref. 30. idem dicunt, si mandauit seruo, vt alterum tantum percuteret, non autem occideret, licet mors*

mors



- mors deinde sequuta fuerit *Bonacin. d. disp. 7. q. 4. punct. ult. num. 8. Roco. in Prax. ut sup. par. 1. ref. 456. & 458. & p. 3. ref. 266.* Vnde Sylu. *in ver. homicidium 2. q. 22. & alij quos refert, & sequitur Dian. par. 4. tr. 2. ref. 10.* tenent, cum non esse irregularem, qui alium vulnerauit vulnere non lethali, etiamsi vulneratus ex propria, aut medici culpa, aut incuria decesserit: quia vulnerans in tali casu non est causa mortis, licet morti occasionem dederit.
- 15 Inferunt 6. posse Episcopum dispensare cum eo, qui vertit infirmum intentione accelerandæ mortis, nè tandiù patiatur, quia homicidium voluntarium, de quo agit Concilium *d. sess. 14. cap. 7.* illud est, quod illicitè per infidias, & ex proposito fit, *ut cum Auil. tenet Barbof. d. all. 39. nu. 47.* sed contrarium tuetur *Henriq. apud Bonacin. de Censur. d. disp. 7. q. 4. pun. ult. nu. 10.* quia mors inde sequens videtur directè volita, & intentà.
- Verum si quis bona fide, & animo iuuandi reuoluat infirmum, vt facilius somnum, vel cibum capiat, irregularitatem nullo modo incurrit, etiamsi mors ex aliqua culpa acceleretur: modò non sit culpa lata, aut negligentia notabilis, sed adhibuerit illam diligentiam, quam communiter adhibent homines illius professionis *Nau. c. 27. num. 228. Mancin. in Pract. visit. infirm. pract. 10. dub. 4. & cõmunem dicit Bonac. de censur. disp. 7. q. 4. pun. 7. num. 12.* vbi etiam notat, quod non sunt facilè admittendi scrupuli in hac materia.
- 16 Inferunt 7. posse Episcopum dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio licito, siue factò auctoritate legitima à ministris iustitiæ, vel in bello iusto late *Barbof. d. par. 2. all. 39. nu. 47. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 69. & par. 7. tr. 2. resol. 26. & 27.* vbi dicunt, quod sub nomine homicidij voluntarij illud tantum comprehenditur, quod est illicitum, & iniustum.
- 17 Immodò *Auil. Sánchez sagund. & alij apud Barbof. loco cit. num. 26. & 27.* afferunt, posse Episcopum cum iudice sententiam sanguinis exequente dispensare, etiamsi id alibi notorium sit, & ex actis iudicij constet: dummodò in Ciuitate, seu loco, in quo petitur dispensatio, sit occultum, neque adsit periculum diffamationis propter locorum distantiam.
- 18 Contrarium tamen tenet *Bonacin. d. disp. 7. q. 4. pun. ult. nu. 4. & 10. Garc. de Benefic. par. 7. cap. 11. n. 40. & alij* afferentes, Episcopum in tali casu non posse dispensare, quia hæc irregularitas non prouenit ex delicto: & hæc sententia videtur probabilior.
- 19 Addunt alij, quod irregularitatem prædictam ex defectu lenitatis incurrunt tantum ministri iustitiæ, quia in iuribus, in quibus fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis, sermo tantum est de iudicibus, & alijs officialibus concurrentibus ad occisionem, aut mutilationem, vt publicis personis, & ministris iustitiæ, ita cum *Vasq: d. Turrian. de Cens. lib. 7. disp. 66. dub. 3. Hurtad. disp. 2. de irregul. diff. 11. nu. 39.* quos refert, & sequi-



ter *Diam in Addit. secundar. ad 1. 2. & 3. part. ref. 15.* ubi ab huiusmodi irregularitate excusat vendentes, aut donantes instrumenta ad interficiendos delinquentes.

20 Ultimo observant DD. quod imminente magno scandalo, vel urgente alia magna necessitate, & difficili existente recursu ad Papam propter inopiam, vel magnam distantiam potest Episcopus in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario occulto dispensare ex tacita Summi Pontificis commissione: non enim credendum est, Papam sibi reservasse dispensationem in tanto animarum periculo, ita Petrus Cornelio in 3. par. D. I. hom. tract. 5. de Irregul. disp. 1. dub. 4. q. 4. Anil. de Censur. par. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 3. & alij apud *Diam par. 4. tr. 2. ref. 100. quibus adde. Sylu. in ver. dispensatio num. 15.*

## S U M M A R I U M.

- 1 Quid, & quatuorplex sit bigamia.
- 2 Quid requiratur ad bigamiam contrahendam.
- 3 Qui primo accipit Virginem, sed non cognoscit & ea mortua contrahit cum alia virgine, & eam cognoscit, non est bigamus.
- 4 Bigamiam non incurrit, qui si est contrahit secundum matrimonium, ut extorqueat copulam.
- 5 Non oritur bigamia, nec irregularitas in foro conscientiae ex copula absque seminis virilis emissionem.
- 6 Non est bigamus qui ducit mulierem a se ipso cognitam ante matrimonium.
- 7 Non est irregularis qui susceptis minoribus ordinibus, aut emissio simplici castitatis voto contrahit, aut consummat matrimonium.
- 8 In bigamiam incurrit qui iudicio suo virginem duxit, sed tandem invenit eam corruptam, & cognoscit.
- An error, vel ignorantia a bigamia excuset, ibidem.
- 9 Quid si quis cognoverit uxorem qua adulterata fuerit, per vim, aut metum.
- 10 Bigami sunt inhabiles ad ordines.
- 11 Ita sunt inhabiles ad beneficia.
- 12 An clericus in sacris constitutus contrahens matrimonium amittat ipso facto beneficia.
- 13 An bigamus possit habere pensionem.
- 14 An Clericus conjugatus possit puniri a Iudice laico, si in bigamiam inciderit.
- 15 In bigamia vera, vel interpretativa Episcopus non potest dispensare.
- 16 An Episcopus incidat in aliquam poenam, si scienter ordinet bigamum.
- 17 An Praelati regulares possint dispensare in tali bigamia.
- 18 In bigamia huiusmodi solus Papa dispensat.
- 19 An Episcopus dispensare possit in bigamia interpretativa orta ex delicto occulto.
- 20 An possit Episcopus dispensare, in bigamia similitudinaria. Et an Praelatus regularis possit



in ea cum suis subditis dispensare. *ibidem.*

- 21 An, & in quo casu coniugati ad ordines promoueri possint.
- 22 An vir sacris initiatus de licentia uxoris manentis in seculo cum voto castitatis possit cum ea habitare.

## C A P. IX.

Utrum Bigami ad ordines promoueri possint.

**B**igamia est quedam irregularitas con surgens ex multiplici matrimonio contracto, & consummato *Sylu. in ver. Bigamia & alij*: nam qui plura matrimonia contraxit, cum diuiserit carnem suam in plures, non potest aptè significare vnionem Iesu Christi cum ecclesia vnica sua sponsa *Bellett. Dissquis. Cleric. par. 1. tit. 1. §. 6. num. 1. Lezan. in Sum. qq. reg. 10. 3. ver. Bigamus.* Vnde huiusmodi irregularitas alio nomine vocatur ex defectu Sacramenti *cap. debitum de Bigam.* & ideo per Baptismum non tollitur *cap. Acutius 26. dist. licet per eum tollatur irregularitas homicidij Sylu. loco cit. q. 4. Bonacin. de Censur. disp. 7. q. 2. pun. 5. num. 13. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 51.* & ratio est, quia hic defectus æquè inuenitur in matrimonio ante baptismum, ac post illum inito, ut obseruat *Sanct. apud Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 49. n. 3.* neque tollitur per professionem in religione approbata, licet per

eam tollatur defectus natalium *Lezan. loco cit. nu. 9.*

Triplex autem est bigamia, alia vera, alia interpretatiua, alia similitudinaria; vera est, quando quis verè duas uxores legitime duxit, easque carnali copula cognouit: interpretatiua est, quando quis reuera nõ contraxit cum duabus, sed secundum interpretationem iuris cum duabus censetur contraxisse, puta si contraxit cum duabus inualidè, vel cum vna validè, cū alia inualidè, vel cū vidua, aut corrupta validè *glos. in c. 2. ver. in bigamis de Bigam. Nauar. in Man. cap. 27. num. 195. & conf. 1. de Bigam. Ricc. in Prax. for. eccles. par. 3. ref. 32. Bonacin. de Censur. disp. 7. q. 2. pun. 5. numer. 10. Garc. de Bonif. par. 7. cap. 6. nu. 15. Barbof. d. par. 2. all. 49. n. 4.* Similitudinaria est, quando quis post solemne castitatis votum emissum in professione religionis, vel in susceptione sacrorum ordinum cum aliqua etiam vnica matrimonium contrahit, & consummat, siue illa fuerit virgo, siue non *c. quotquot 27. q. 1. Barbof. loc. cit. num. 15. Ricc. in Prax. ut supra par. 2. ref. 32.* vel quando quis habet duas uxores, vnā de iure, aliam de facto successiuè, aut simul secundum *Sylu. in ver. bigamia q. 2. Ricc. d. ref. 32.* Sed alij Doctores hunc casum ad bigamiam interpretatiuam rectius referunt. dicitur autem similitudinaria, quia adstrictus voto solemni censetur spirituales quasdam nuptias contraxisse cum Christo Domino & ecclesia: & ideo & per carnale



matrimonium cum aliqua coniū-  
gitur, cenſetur duo matrimonia  
celebrare, nō quidē verè, ſed ſimi-  
litudinaria *Nau. d. cōſ. 1. de big. Bo-  
nac. d. diſp. 7. q. 2. pun. 5. n. 2. in ſin.*  
2. Ex dictis colligitur, duo coniū-  
nctim ad bigamiam requiri: pri-  
mò, vt matrimonium cum dua-  
bus contrahatur verè, aut inter-  
pretatiuè, aut ſimilitudinariè.  
Secundò vt ſubſequatur copula,  
*ita Bonacin. d. diſp. 7. q. 2. pun. 5. n. 4.  
Barboſ. d. all. 49. num. 12. & alij cō-  
muniter.* nec ſufficit quæcumque  
copula, ſed requiritur copula ſub-  
ſequuta animò maritali cum ſe-  
minis virilis emiſſione in vaſe de-  
bito, vt colligitur ex communi  
ſenſu Doctorum. dixi, *ſubſequu-  
ta animò maritali*, quia hæc irre-  
gularitas non incurritur ſine ma-  
trimonio de iure, aut de facto  
cōtracto *c. nuper de Big. dixi, cū ſe-  
minis virilis emiſſione*, tum quia  
ad hanc irregularitatem incurrē-  
dam non ſufficit ſola copula abſ-  
que ſeminatione, tum quia ſolū  
viri ſemen requiritur, quia ſemen  
ſæmineum non eſt neceſſarium,  
& ad generationem ſecundum  
*Ariſtotel. quem ſequitur S. Tb. in  
3. par. q. 31. ar. 5. ad 3. vnde ita re-  
ſoluit Sanch. Turrian. & alij  
apud Barboſ. d. all. 49. nu. 12. Dian.  
par. 4. tr. 2. reſ. 42. & 43. dixi, in  
vaſe debito*, quia non ſufficeret  
copula nefanda, vt dicunt DD.  
quos reſert, & ſequitur *Bonacin.  
d. diſp. 7. q. 2. pun. 7. num. 9. Lexan.  
loco cit. in ver. Bigamus nu. 3.*  
3. Ex quo inferitur primò, eum  
non eſſe bigamum, qui primò

accipit virginem, ſed non co-  
gnofcit, & ea mortua contrahit  
cum alia Virgine, & eam co-  
gnofcit: vel è conuerſo ſi co-  
gnouit primam, & non ſecundam.  
quia ad incurrendam hanc irre-  
gularitatem requiritur copula,  
cum vtraque, vt ſupra diximus,  
*ita Sylu. in ver. Bigam. q. 3. Bellett.  
d. 9. 6. nu. 25. & ſeq.* Vnde nec Bi-  
gamus cenſendus eſt qui mulie-  
rem ab alio viro ductam, ſed mi-  
nimè cognitam duxit in vxorem,  
*vt conſtat, exc. debitum de Bigam.*  
neque etiam qui cum multis cō-  
trahit, ſi copulam non habuit,  
niſi cum vna tantum *Nau. cap. 27.  
num. 196. & alij communiter*, nec  
is, qui duxit viduam cognitam,  
quam tamen ipſe non cognouit  
*Bellett. loco cit. num. 26.*  
4. Inferitur 2. bigamiam non in-  
curri ab eo, qui fictè contrahit ſe-  
cundum matrimonium, vt ex-  
torqueat copulam: quia non ha-  
bet maritalem affectum *Bonacin.  
de Cenſur. d. diſp. 7. q. 2. pun. 5. nu. 2.  
verſ. dico animò maritali Dian. p. 4  
tr. 2. reſ. 38.* eadem ratione non  
incurrit hanc irregularitatem vir  
coniugatus, qui adulteratur cum  
alijs: neque Clericus, aut alius  
qui plures cognouerit concubi-  
nas *cap. quia circa de Bigam. Bo-  
nac. vbi ſupra Nauar. cap. 27. nu.  
196. Ricc. in Prax. for. ſecleſ. par. 3.  
reſ. 33. Bellett. d. tit. 1. 9. 6. nu. 35.* ad  
incurrendam enim bigamiam  
non ſufficit ſola copula, ſed requi-  
ritur etiam, vt matrimonium  
precedat, vt ſupra diximus: vn-  
de nec ſufficerent ad hanc irre-  
gularitatem inducendam multi-  
pli-



- plicata sponsalia *cap. fin. 34. dist.*  
 etiamsi subsequuta sit copula, v:  
 dicunt Doctores apud Bonacin. lo-  
 co cit. d. pun. 5. nu. 6. Barbof. par. 2.  
 all. 49. n. 13. & est cōmunis opinio.
- 5 Infertur 3. non oriri bigamiā,  
 nec irregularitatem in foro con-  
 scientiæ ex copula absque semi-  
 nis virilis emissionē, & idē in ta-  
 li casu si res occulta fuerit, po-  
 terit quis promoueri ad sacros or-  
 dines sine aliqua dispensatione.  
*Barbof. ibidem nu. 12. & alij apud  
 Dian. par. 4. tr. 2. ref. 42.*
- 6 Infertur 4. neque eum esse biga-  
 mum, qui ducit mulierem a se  
 ipso cognitam ante matrimoniū,  
 modō ab alio cognita non fuerit;  
 quia in tali casu neuter diuisit car-  
 nem suam in plures *arg. d. cap. de-  
 bitum de Bigam. & tradunt DD.  
 apud Dian. vbi supra ref. 38. & alij  
 apud Bonacin. d. disp. 7. q. 2. pun. 5.  
 num. 2. vers. dixi cum vidua. Bar-  
 bof. par. 2. d. all. 49. num. 7. Bellet. d.  
 tit. 1. §. 6. num. 28.*
- 7 Infertur 5. eum non esse irre-  
 gularem, qui susceptis minoribus  
 ordinibus, aut emisso simplici ca-  
 stitatis voto contrahit, aut con-  
 summat matrimonium cum vir-  
 gine: quia hæc irregularitas non  
 est in iure expressa *Nauar. conf. 1.  
 de Bigam. Bonacin. loco cit. d. pun.  
 5. nu. 2. vers. bigamia similitudina-  
 ria, vbi citat. Sanch. Vgolin. Val-  
 lent. & alios.*
- 8 Infertur 6. illum esse bigamum,  
 qui iudicio suo virginem duxit,  
 sed tandem inuenit eam corrup-  
 tam, & cognoscit *cap. si cuius 34  
 dist. Vulp. in Prax. Iudic. cap. 45.  
 num. 5. nec error, aut ignorantia*
- a bigamia excusat, quia ex hoc  
 non efficitur, quin caro illius fœ-  
 minæ in plures diuisa fuerit *Sylu.  
 loc. cit. q. 3. Nau. cap. 27. num. 195.  
 Ricc. in Prax. par. 3. ref. 32. Bellett.  
 d. §. 6. num. 24. Barbof. d. all. 49. nu.  
 6. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 41. Bonacin.  
 d. pun. 5. n. 10. & alij communiter;*
- 9 idemque dicendum est, si quis  
 cognouit vxorem adulteram, si-  
 ne volens, adulterata fuerit,  
 siue per vim, aut metum *d. cap. si  
 cuius 34. dist. glos. in cap. 2. ver. in  
 bigamis de Bigam. Nau. loco cit.  
 Barbof. vbi supra num. 10. & licet  
 secundum glos. in d. cap. 2. id pro-  
 cedat, quando scienter cognouit  
 vxorem adulteram, idem tamen  
 est, si id faciat ignoranter: quia  
 hic non agitur de irregularitate,  
 ob culpam, seu delictum inducta,  
 sed ob defectum sacramenti, &  
 ita tenet communis opinio, quam  
 sequitur Couar. Maiol. Gutti. er.  
 Tolet. & alij apud Garc. de Benefic.  
 par. 7. cap. 6. nu. 16. nullam tamen  
 incurreret bigamiam qui matri-  
 monium contraxit cum virgine,  
 eamq. non cognouit, postquam  
 adulterata est *d. cap. si cuius Bo-  
 nacin. loco cit. nu. 2. vers. tertio mo-  
 do Bellett. vbi supra nu. 24.**
- 10 His præmissis dico 1. quod Bi-  
 gami sunt inhabiles ad ordines  
 suscipiendos *cap. 1. de Bigam. c. vn.  
 eod. tit. in 6. & idē si ordinantur,  
 licet recipiant caracterem e. qui-  
 cumque 2. 50. dist. glos. in cap. 2. ver.  
 dispensare de Bigam. ordinis ta-  
 men suscepti executionem non  
 habent d. cap. vn. vbi priuantur  
 omni priuilegio clericali, & post  
 Butr. & Host. notat Bellet. d. tit. 1.  
 §. 6.*



- § 6. num. 14. & alij comm. idque colligitur etiam ex *Epistola 1. ad Thimot. cap. 3.* vbi Apostolus precipit, Episcopum debere esse vnius vxoris virum.
- 11 Dico 2. quod Bigamus est etiā inhabilis ad beneficia tam obtenta, quam obtinenda ex d. cap. vn. de *Bigam. in 6.* cum enim non sit dignus ordine, & officio, per consequens & beneficio indignus est *Nau. conf. 3. de Bigam. Barbof. inc. 1. num. 2. eod. tit. & ideò non facit fructus suos, vt censuit Sac. Cōgreg. teste Bellett. tit. 1. §. 6. nu. 14.* hoc tamen verū est in bigamo verè, vel interpretatiuè, siue in Clerico in minoribus constituto, qui sic contraxit *iuxta glos. communiter receptam in d. cap. vn. ver. bigamus:* quemadmodum clericus in minoribus contrahens matrimonium etiam cum vnica, & virgine ipso iure priuatur beneficijs *per tex. in c. 1. vbi id notat omnes de Cler. coniug.*
- 12 secus dicendum de Clerico professo, vel in sacris constituto contrahente matrimoniū: hic enim beneficia non amittit ipso facto, nisi per sententiā priuatur *Nau. cap. 25. num. 120. Ricc. in Prax. for. eccles. par. 3. ref. 36. Vulp. d. cap. 45. num. 6. & communem dicit Barbof. in cap. 1. numer. 7. de Cler. coniug. nec amittit priuilegium clericale, licet priuatur ordinum exequutione capitul. quisquis distin. 84. Sylu. in ver. bigamia numer. 8. vbi dicit, quod tex. in d. cap. vn. de Bigam. in 6: loquitur tantum de Clerico in minoribus, non autem in sacris ordinibus constitu-*
- to, vel professo: ratio diuersitatis est, quia existens in minoribus taliter contrahendo potest, & debet viuere vt laicus; qui verò est in sacris, aut professus redire non potest ad sæculum; *Quare ita cum Sylu. loco cit. tenet Ricc. in prax. p. 3. ref. 34. Bonaccin. de Censur. disp. 7. q. 2. pun. 5. n. 16. Barbof. d. all. 49. num. 18. & alij communiter.*
- 13 An verò bigamus possit habere pensionem? affirmat Ricc. *in Prax. par. 3. ref. 37:* quia pensio non est beneficium ecclesiasticū, nec venit appellatione beneficij: hoc tamen procedere in pensione, quæ datur laico pro ministerio, vel pro re vtiliter gesta, aut gerenda in defensione ecclesiæ, dicit Barbof. *in d. cap. 1. n. 6. de Cleric. coniug. vbi etiam notat, quod talis pensio per matrimonium contractum non extinguatur:*
- 14 Dico 3: quod Clericus coniugatus cum vnica, & virgine non potest ex aliquo maleficio puniri à Iudice laico eo quod in bigamiam inciderit, etiam si cognouerit vxorem post adulteriū, etiam publicum ab ea commissum; quia licet sit bigamus quoad legem promotionis, non tamen quoad priuilegium cōcessum Clericis coniugatis *per capit. vn. de Cler. coniug. in 6: ita decisū refert Ricc. in Collect. dec. 1864. & in Prax. par. 3. ref. 39: vbi etiā dicit, quod ita concorditer tenent omnes in cap. vn. de bigam. in 6:*
- 15 Dico 4: quod in bigamia vera, & interpretatiua Episcopus non potest dispensare, neque ad benefici-



beneficium simplex, neque ad suscipiendum primam tonsuram, aut minores ordines, neque ad usum, & exercitium ordinum minorum, antea susceptorum, ut constat ex d. cap. vn. de Bigam. in 6. Conc. Trident. sess. 23. de ref. cap. 17. & ita tenent Doctores apud Barbof. in cap. 2. num. 5. ex. de Bigam. Garc. de Benef. par. 7. cap. 6. nu. 5. & 14. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 61. & ita declarasse Sixtum V. & Sac. Congregatione refert. Bellett. d. tit. 1. §. 6. num. 14. Lezan. in Summ. 99. regul. to. 3. ver. Bigamus num. 4. Vulp. in Prax. iudic. cap. 45. num. 1. Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 49. num. 25. Bonacin. loco cit. pun. 5. nu. 5. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 62. et alij communiter reiecta contraria opinione Syluest. in ver. Bigamia q. 7. Nau. d. cap. 27. num. 197. Ricc. in Prax. par. 1. resol. 473. et par. 2. ref. 220. et aliorum.

16 Sed queres, an Episcopus incidat in aliquam pœnam, si scienter ordinet bigamum? negatiue respondet Barbof. d. par. 2. all. 49. nu. 19. & ita Sac. Cong. declarasse refert. Add. ad Nauar. conf. 3. de bigam. alij verò tenent, Episcopum primam tonsuram, vel minores ordines huiusmodi bigamo conferentem esse suspensum à collatione ordinum, & similiter promotum ab ordinum executione, & beneficij, si quod habuit, collationem esse nullam. Vulp. d. cap. 45. nu. 1. Bellett. d. tit. 1. §. 6. num. 14. ubi refert, ita declarasse Sixtum V.

17 Queres 2. an Prælati regulares possint dispensare in tali bigamia? Resp. negatiue, quia non constat de tali privilegio: quamuis enim

aliqui DD. apud Dian. p. 4. tr. 2. ref. 63. referant, Paulum III. concessisse Prælati regularibus, vt possint semel singulis annis prima die Lunę Quadragesimæ dispensare cum suis subditis in omni irregularitate quavis occasione, vel causa contracta: tamen ex huiusmodi privilegio non concluditur, eos posse in bigamia vera, vel interpretatiua dispensare; nam facultas dispensandi generaliter super irregularitatibus non extenditur ad bigamiã, & homicidiũ voluntariũ, quia insolita non veniunt in generali concessione c. fin. de offic. Vic. in 6. præsertim cū in tali casu nec ipse Papa. soleat dispensare, nisi ob maximam causam Nauar. conf. 38. de Homic. Bonacin. d. pun. 5. nu. 15. Dian. d. ref. 63. & alij plures, quos refert, & sequitur Barbof. d. all. 49. num. 28. & seq.

18 Quare dispensationem in tali casu spectare ad summum Pontificem, tenent Theologi, & Canonistæ communiter, quia bigamia non est adiuncta irregularitas iure naturali, sed positiuo: Vnde ad Epistolam D. Pauli ad Thimot. 1. dicto cap. 3. respondent, quod licet Summus Pontifex non possit dispensare in ijs, que sunt de iure naturali, de necessitate Sacramentorũ, & fidei, in alijs tamen, quæ sunt de institutione Apostolorum licite potest dispensare, cum ecclesia habeat nunc eadem potestatem statuendi, & destruendi, quam tunc habebat; & ideo textum illum in cap. 2. de bigam. ibi, qui in bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ita interpretantur, vt dispens-



dispensare non liceat sine magna causa, secus si vrgens causa sub- sit: Vnde Lucius Papa dispensauit cū Panormitano Archiepiscopo, qui fuit bigamus, *vt d. glos. in cap. lector ver. fiat 34. dist. ita Sylu. in ver. bigamia num. 7. Nauar. cap. 27. num. 197. vers. sexto Vulp. in Prax. Iudic. cap. 45. num. 8. Barbof. in c. 2. num. 4. de Bigam. & in tract. de off. & pot. Episc. par. 2. d. all. 49. nu. 20. & 21. Bonacin vbi supra num. 14. & alij.*

19 Obseruant tamen nonnulli Do- ctiores, posse Episcopum vigore Concilij Tridentini *sess. 24. de ref. c. 6.* dispensare etiam ad maiores ordines in bigamia interpretatiua orta ex delicto occulto, qualis est illa, quæ prouenit ex duplici ma- trimonio neutro existente valido, aut altero valido, alio irrito, *ita Sanch. & Henriq. quos refert, & se- quitur Barbof. d. all. 49. nu. 25.* vbi etiam dicit, quod in d. bigamia, conceditur Episcopo dispensatio, si necessitas yrgeat ob ministrorū penuriam, nec esset aditus ad Pō- tificem ob loci distantiam: *qui- bus adde Præpos. in 3. var. q. 5. de Ir. regul. dub. 7. num. 138.* qui censet, Episcopum posse dispensare etiā in ea bigamia, que oritur ex de- licto alieno, puta in irregularita- re contracta ab eo, qui cognouit vxorem, postquam ea commisit adulterium, modò adulterium vxoris sit occultum, *prout illum refert Dian. p. 4. tr. 2. ref. 61. qui hanc opinionem probabilem existimat.*

20 Verum in bigamia similitudina- ria etiam publica posse Episcopū dispensare cum eo, qui contraxit

cum Virgine, tam ad suscipiendos ordines etiam sacros, quam quoad vsus susceptorum, & ad ecclesia- stica beneficia tenent communi- ter Doctores *per cap. 1. Qui Cler. vel nou. cap. sine 2. de Cler. coniug. Nau. d. cap. 27. num. 197. Vulp. d. c. 45. num. 9. Ricc. in Prax. vt supra par. 2. ref. 220. & par. 3. ref. 36. Bonac. loco cit. d. pu. 5. n. 15. Dian. p. 4. tr. 2. ref. 62. & in tali casu posse etiam Prælatos regulares dispēsare cum suis subditis tenet Barb. d. all. 49. n. 31. vbi citat. Suar. Sigism. a Bononia & felician. de vega, quibus adde Lezan. in sum. qq. reg. to. 3. ver. Bi- gamus nu. 6. vbi dicit, quod quid quid iure ordinario competit Epi- scopis, competit etiam istis Præ- latis habentibus iurisdictionem, quasi Episcopalem. Secus si cum Vidua, aut corrupta matrimoniū cōtraxerit, aut duplex inierit ma- trimonium, puta si de iure con- traxit cum vna, antequam esset in- sacris, & cum alia post ordinatio- nem, quia tunc solus Papa dispēs- sat Sylu. in ver. Bigamia q. 7. Barb. in cap. 2. n. 8. de Bigam. & in cap. sa- nē 2. num. 2. de Cler. coniug. Vulp. d. cap. 45. numer. 9. Dian. d. par. 4. tr. 2. resolutione 62.*

An verò si hæc bigamia ex de- licto occulto oriatur, possit Epi- scopus in ea dispēsare vigore Tri- dentini *d. cap. 6. affirmatiuè respon- det Barbof. de offic. & pot. Episc. p. 2. all. 49. num. 27. vbi citat. Ricc. & Sanch.*

21 Quæres, an, & in quo casu cōiu- gati ad ordines admitti possint? Resp. quod si eorum vxores casti- tatem in sæculo voucant, possunt



ad sacros ordines promoueri dū-  
modò in bigamiam nō inciderint  
cap. conuogatus de Conuers. Coniug.  
quod secundū aliquos procedit,  
siue vxores senes sint, siue iunio-  
res, itā franc. Marc. dec. 734. n. 22  
par. 2. Maior. de irregul. lib. 1. c. 34.  
num. 3. vers. in alijs autem, & alij  
apud Barbof. in d. cap. conuogatus  
nu. 2. sed alij rectius distinguunt,  
quod si vxor est senex, & non su-  
specta de incontinentia, tunc suf-  
ficit votum continentia ipsius in  
seculo cap. significauit eod. tit. si ve-  
rò est iuuenis, requiritur ingres-  
sus ipsius in Religionem cap. uxo-  
ratus, & cap. ad apostolicam de  
Conuers. coniug. itā Beilett. disquis.  
cleric. par. 1. tit. de Disciplin. cleric.  
§. 9. num. 19. Nau. in Man. cap. 22.  
nu. 52. ubi citat S. Thom. in 4. dist.  
37. ar. 2. itā etiam tenent alij apud  
Dian. par. 3. tr. 4. ref. 243. id autem  
fieri inequit, nisi interueniat con-  
sensus, & licentia Episcopi Diœ-  
cesani cap. si vir, & vxor. 27. q. 2. d.  
cap. significauit de Conuers. Con-  
iug.

21 An verò vir sacris initiatus ex  
legitima vxoris licentia manentis  
in seculo cum voto castitatis pos-  
sit simul cum ea habitare; Resp.  
affirmatiuè, si de incontinentia,  
non sint suspecti, secus si essent  
suspecti: tunc enim nullatenus  
eis est permittendum, vt simul  
habitent Sanch. de matrim. lib. 7.  
disp. 39. num. 8. quem refert, & se-  
quitur Barbof. de offic. & pot. Episc.  
par. 2. all. 10. num. 44. & in d. capit.  
coniugatus num. 2. de Conuers. con-  
iug.

## S V M M A R I V M.

- 1 Ligatus maiori excommunicatione, suspensione, & interdictione irregularitate incurrit ob exercitium ordinis.
- 2 Irregularitatem similiter incurrit recipiens ordinem in excommunicatione maiori.
- 3 An tempore censura exerceat actum minoris ordinis incurrit irregularitatem.
- 4 Quid si excommunicatus recipiat ordines minores.
- 5 An suspensus ab ordine superiori intelligatur suspensus ab exercitio ordinis inferioris.
- 6 Quid operetur suspensio à Pontificalibus.
- 7 Suspensus ab ordine inferiori etiam quoad omnes superiores ordines manet suspensus.
- 8 Episcopus suspensus à collatione ordinum minorum potest conferre ordines maiores.
- 9 An si laicus vinculo censura obstrictus diuinis se ingerat, incurrat irregularitatem.
- 10 An suspensus ab administratione sacramentorum intelligatur suspensus à celebratione missæ.  
Suspensus à perceptione sacramentorum non fit irregularis ea recipiendo, ibidem.
- 11 Qui excusatur à culpa, excusatur ab irregularitate.
- 12 An Clericus à Iudice excommunicatus secundum publicas probationes, qui tamen innocens sit absque metu irregularitatis possit actum ordinis exercere.
- 13 Quid si fuerit iniuste, aut nulliter

Z. liter



- liter contra regulas iuris excō-  
municatus.
- 14 Si excommunicatus occultus post  
quam fuit absolutus in foro cō-  
scientie celebrauerit, & po-  
stea eius excommunicatio inno-  
tescat, an sit condemnandus tā-  
quam irregularis.
- 15 An sit irregularis qui celebra-  
uit post appellationem interposi-  
tam à declaratoria.
- 16 Quid si exerceat actum ordinis  
sacri postquam appellauit à cō-  
minata excommunicatione.
- 17 An Clericus à suo Episcopo pro-  
hibitus sub pœna suspensionis,  
nē in aliena Diœcesi celebraret,  
incidit in irregularitatem, si ibi  
celebrauerit.
- 18 Quando subditus existens in  
alieno territorio possit censuris  
ligari à suo Episcopo.
- 19 An irregularitas incurratur,  
quando verba, quibus imponi-  
tur pœna excommunicationis,  
sunt ambigua.
- 20 An promotus per saltum fiat ir-  
regularis, si ministrauerit tan-  
tum in ordine, quem rite susce-  
pit.  
Quid si ministret in ordine præter-  
misso, ibidem.
- 21 Suspensus, vel interdictus su-  
scipiens ordinem sacrum an fiat  
irregularis.
- 22 An fiat irregularis clericus ad  
sacros ordines nō promotus, qui  
in missa canit epistolam sine ma-  
nipulo.  
Quid si cantauerit epistolam etiā  
cum manipulo, sed tamen no-  
luit id facere tanquam subdia-  
conus, ibidem.
- 23 An Episcopus incurrat censu-  
ras, quæ iure generali serua-  
tur.
- 24 An Episcopus possit in irregu-  
laritate dispensare, & nu. 25.
- 26 An Parochus, vel alij confessa-  
rij possint absoluerè à suspensio-  
ne iure communi non reserua-  
ta.  
Et an ab ea possit absoluerè Episco-  
pus, ibidem.
- 27 An Parochus, vel alius confes-  
sarius absoluerè possit pœnitentem  
ab interdicto.
- 28 An incurrat irregularitatem sa-  
cerdos, qui sine legitima licen-  
tia sacras confessiones excipit.

## CAP. X.

In quo casu Clericus excommu-  
nicatus, suspensus, vel interdi-  
ctus irregularitatem incurrat  
ob exercitium ordinis, & quan-  
do ab illa excusetur.



Clericus ligatus maio-  
ri excommunicatione,  
suspensione, &  
interdicto regulari-  
ter fit irregularis, si  
actum ordinis exerceat, vt con-  
stat ex cap. 1 & cap. 15, cui de sent.  
excom. in 6. etiam si sit occultus,  
& toleratus; quia Concilium Cō-  
stantiense nullum priuilegium  
concessit excommunicatis, quam-  
uis occultis, vt notat Bonacin-  
de Censur. disp. 7. q. 3. pun. 5. nu. 1.  
quod etiam locum habet, quan-  
do quis in excōmunicatione maio-  
ri scienter, vel cum ignoran-  
tia



ria crassa, vel affectata ecclesiasticos ordines suscipit. *cap. cum illorum de sexti excomm. c. 1. de eo qui fert. ordin. suscep. Sylu. in ver. irregularitas nu. 4. Nau. in Man. c. 27. num. 243. & alij communiter.*

3 Observa tamen 1. quod supradicta conclusio procedit tantum, quando exercetur actus ordinis sacri secundum communem Doctorum sententiam: secus si tempore censurae exerceatur actus minoris ordinis, quia tunc irregularitas non incurritur; nam de consuetudine actus minorum ordinum a laicis etiã cum solemnitate exercentur, *ut post Tolet. Auil. & alios observat Bonac. loco cit. Dian. par. 4. tr. 2. res. 56. & 92. & alij recentiores communiter; quicquid dicat Nau. in Man. cap. 25. num. 76. & c. 27. num. 163. Quarant. in ver. ordo vers. secundo limita Bullett. Disquis. Cleric. tit. de Discipl. cleric. §. 5. n. 62.*

4 Addit Graff. *decis. cas. cons. p. 1. lib. 4. cap. 27. nu. 10.* quod nullam similiter contraheret irregularitatem qui in excommunicatione maiori ordines minores reciperet: sed contrarium videtur verius, quia textus in d. cap. cum illorum absolute loquitur; *Quare ita tenet Sylu. Tabien. & alij apud Bonacin. d. disp. 7. q. 3. pun. 4. nu. 1. nisi excommunicatus reciperet primam tonsuram, tunc enim non fieret irregularis, quia prima tonsura non est ordo, ut dicit idem Bonacin. de Censur. in par. disp. 3. q. 1. pun. 6. n. 3. & alij.*

5 Observa secundò, quod suspensus ab ordine superiori non intelligitur suspensus ab exercitio ordi-

nis inferioris: & ideo suspensus ab ordine sacerdotali, licet non possit exercere functionem propriam sacerdoti, quale est sacrificium, missa, collatio extremæ unctionis, benedictio sponsa &c. potest tamen exercere officium Diaconatus, vel Subdiaconatus. *cap. significavit de corp. vitiat. Sylu. in ver. suspensio nu. 5. & suspensus ab exercitio Pontificalium solum intelligitur suspensus ab his, quæ dependent ab ordine pontificali, nõ ab alijs; unde exercere poterit iurisdictionalia, missam priuatam celebrare, confessiones audire, & alia facere sine ornamentis pontificalibus, ut dicunt Doctores, quos refert, & sequitur Ricc. in Praefor. eccles. par. 1. res. 450. Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 6. nu. 41 & 5. & alij apud Dian. p. 5. tr. 10. res. 4. ubi etiam dicit, quod suspensio a Pontificalibus per se, accide recte prohibet usum insignium Episcopaliũ; videlicet mitræ, baculi, & pallij; per accidens vero, & consecutiue omnia episcopalia solemnia officia, quæ sine huiusmodi insignibus exerceri nõ debent: qualia sunt ordines etiam minores conferre, confirmare, consecrare ecclesias, altaria, virgines &c. verum etiam si Episcopus in pontificalibus celebraret, adhuc non incurreret irregularitatem: tum quia sacrificium non est munus Episcopi, ut sic, sed sacerdotis, cuius exercitium per huiusmodi suspensionem ei non interdicitur: tum quia pontificalia nõ sunt de substantia celebrationis: tam quia talis irregulari-*



tas nō est in iure expressa itā glos. in cap. 2. ver. Sacerdotale de offic. de leg. in 6. Sylu. in ver. suspensio nu. 5. Dian. loco cit. d. ref. 4. vbi citat. Praeposit. in 3. par. q. 3. de susp. dub. 2. nu. 33. & itā etiam tenet alij apud Barbos. de offic. & pot. Episc. par. 2. alleg. 6. numero 19.

7 E cōtra verō suspensus ab inferiori etiam quoad omnes superiores ordines manet suspensus d. c. cum illorum de sent. excom. & ideo suspensus à Diaconatu Sacerdotale officium exercere non debet, & suspensus à Sacerdotio pontificalia non potest exercere Dian. p. 5. tr. 10. ref. 5. & alij apud Piafec. in Prax. Episc. par. 2. cap. 4. nu. 78. vbi addit cum. fel. in c. apostolica n. 13. de except. quod nullus suspensus incurrit irregularitatem contraveniendo suspensioni, nisi fuerit suspensus à diuinis. Notandum tamen est, quod si Episcopus esset suspensus à collatione iordinum minorum, tunc non solum conferre poterit primā tonsurā, quæ non est ordo, sed etiam alios ordines maiores: quia collatio ordinū est functio eiusdem potestatis, non verō vsus potestatis sublimioris; ac proinde conferendo maiorem ordinem, à quo non est suspensus, non censetur vti ordine sublimiori: quemadmodum suspensus ab audiendis confessionibus potest communi iudicio celebrare, etiam si hoc sit maius manus itā Coni ncb. de Sacram. disput. 15. dub. 2. numero 10. Layman. lib. 1. trad. 3. par. 3. cap. 1. num. 6. & alij apud Dian. par. 5. tr. 10. ref. 6.

9 Obserua 3. quod si laicus excō-

municatus diuinis se ingerat, nullam incurreret irregularitatem: quia intra loquuntur de exercente actum ordinis ex officio, quod solis Clericis, non laicis competit Bonacin. loco cit. d. pun. 5. num. 2. vbi citat Vgolū. Alter. & Reginald. cōtrarium tamen tenet Nau. cap. 27. num. 242. vers. septimo in fin. si laicus actum ordinis sacri serio, & vt ordinatus, seu solēniter exercent, quia tex. in cap. 1. de Cler. non ordin. min. videtur comprehendere tam Clericum, quam laicum: & hanc sententiam sequitur etiam Barbos. in cap. sicut dignum num. 37. de Homi. volunt. & alij apud Dian. p. 4. tr. 2. ref. 56.

10 Obserua 4. quod suspensus ab administratione Sacramentorum non suspenditur à celebratione missæ: quia celebratio missæ non solet comprehēdi sub administratione Sacramentorū, vt post Praeposit. d. Dian. par. 5. tr. 10. ref. 6. idē dicendum est de suspensio à perceptione Sacramentorum: non enim fit irregularitas ea recipiendo, quamuis peccet: quia in tali casu non violatur suspensio per exercitium ordinis sacri; perceptio enim non est officium diuinum, neque opus peculiariter ordini alicui additum Nau. d. cap. 27. numer. 163. vers. tertio Dian. vbi sup. ref. 26.

11 Obserua 5. quod ab huiusmodi irregularitate excusatur qui excusatur à culpa: cum enim irregularitas sit grauis pœna, non incurritur nisi ob graue peccatum c. apostolica de Cler. excom. min. & ideo quoties ratione necessitatis, vel scandalū vitandī, vel ignorantia,

vel



vel inaduertentiæ, vel obliuionis, vel alterius causæ quis excusatur à mortali, excusatur etiam ab irregularitate *Dian. p. 5. tr. 10. ref. 9. Bonacin. de Censur. disp. 7. q. 3. pun. 5. num. 1. & alij communiter.* Unde si Sacerdos occultum homicidium commisit, & nisi missam celebret, in suspicionem sceleris veniet cum vitæ periculo, vel graui famæ dispendio, post peractam pœnitentiam celebrare poterit, quoties necessitas postulabit ad vitandam infamiam, aliudue graue periculum, & interim dispensationem à Papâ petere, & procurare debet, *ut d. Nau. cap. 27. num. 239 Layman. in Theol. mor. lib. 3. tr. 3. cap. 12. num. 6.* lex enim naturalis de defendenda sua famâ præponderat legi humanæ de abstinendo à sacro in irregularitate *Bonacin. de censur. disp. 2. q. 2. pun. 2. S. 1. n. 4. qui citat Suar. Sayr. Sot. Fillinc. & alios: idemque dicendum est, si in excommunicationem Papæ reseruatum incidit, ut dicunt Doctores, quos refert, & sequitur Mascin. in Pract. visit. infirm. pract. 4. dub. 35. & alij recentiores communiter.*

12 Obserua 6. quod irregularitatem non contraheret Clericus secundum publicas probationes à iudice excommunicatus, vel suspensus, qui tamen innocens sit, si deinde in excommunicatione, vel suspensione huiusmodi actum sui ordinis exerceret: quia canones, dum irregularitatem decernunt contra violantes censuram, intelligi debent, quando quis verè censuram contraxit *Layman. lib. 1. tr. 5. cap. 5.*

*num. 3. Bonacin. de censur. d. disp. 7. q. 3. pun. 5. num. 2. & alij.*

13 Idem dicendum est, si fuerit iniuste, aut nulliter contra regulas iuris excommunicatus, aut suspensus: tunc enim neque irregularitatem incurreret, si missam celebret, aut alium actum ordinis facri exerceat *Gaiet. in opusc. 10. 1. tr. 19. de excommunicatione q. 3. m. vers. ad secundam Layman. loco cit. c. 6. per tot. id tamen fieri potest in occulto, & sine scandalo Gaietan. in 2. 2. q. 70. ar. 4. vers. ad obiecta, vbi etiam dicit, quod illi, qui sciunt talem Clericum fuisse iniuste excommunicatum, possunt eidem seruire in missa, & cum eo participare in diuinis, secretò tamen, alias contemneretur ecclesiæ auctoritas, si publicè id fieret, cum excommunicatio etiam iniusta sit timenda, cap. pactoralis 9. quia verò de offic. deleg. nec efficeretur irregularis, si celebraret cum scandalo, quia irregularitas non ratione scandali, sed excommunicationis est inflicta; & idè cum verè excommunicatus non sit, non fit irregularis per exercitium ordinis sacri *Sayr. de Censur. lib. 1. cap. 16. num. 43. & 44. quem refert, & sequitur Vulp. in Prax. iudic. for. eccles. cap. 1. numero 22.**

14 Ita etiam si excommunicatus occultus postquam fuit absolutus in foro conscientie celebrauerit, & postea eius excommunicatio innotescat, non est condemnandus tamquam irregularis, si de absolute fidei faciat per confessarij testimonium, vel testes: quatenus possit puniri propter crimen.

*Nau.*



*Nan. conf. 3. de fid. Instrum. Laymā. d. tr. 5. cap. 7. num. 7. & ita seruari testatur Genuens. in Prax. Archiep. capit. 25.*

- 15 *Obsena 7.* quod irregularis non censetur qui celebravit post appellationem interpositam a declaratoria, siue a pronuntiatione Iudicis, qua declarat aliquem incurrisse in excommunicationem, latam ab homine, vel a iure: quia licet a sententia excommunicationis non detur appellatio quoad effectum suspensiuum *cap. is, cui de sent. excom. in 6.* datur tamen a sententia declaratoria etiam ad effectum suspensiuum, quia Iudex potest malè declarare *glos. in cap. cupientes 9. in super. ver. priuatos de elect. in 6. & post. Dec. & sel. dicit Nanar. conf. 6. & conf. 9. num. 5. de sent. excom. vbi etiam notat, quod licet in facto vero notoriò non possit appellari, ut in cap. cum sit Romana 9. præterea de appell. tamè a sententia Iudicis declarantis factum esse notorium posset appellari ob eandem rationem, quia Iudex potest malè declarare, & ideo ad hoc citari debet reus *iuxta l. de unoquoque ff. de re iud. quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt cap. consuluit 1. de Appell. Quare non possunt affigi cedulones nisi post decem dies a die late sententiæ, si appellatio interposita non fuerit, ut obseruat Vulp. in Prax. Iudic. for. eccles. cap. 1. numero 25. & seq.**
- 16 Idemque dicendum est, si quis exerceat actum ordinis sacri postquam appellauit a comminata excommunicatione, & non obstante

appellatione iudex cum excommunicauit: non enim in tali casu irregularitatem incurreret excedendo actum ordinis, etiamsi appellans non prosequatur appellationem: quia excommunicatio fuit ab initio nulla, ut lata post appellationem, & ideo non efficitur valida per non prosecutionem. *glos. in cap. sape ver. rata manet de appell. Vulp. d. cap. 1. num. 31.*

- 17 *Obsena 8.* quod irregularis non est censendus Clericus prohibitus a suo Episcopo sub pœna suspensionis, nè in aliena Diœcesi celebraret, si hoc non obstante ibi celebraret: quia hoc casu neque suspensionem incurreret; tunc enim delictum inferioris phisicè, & moraliter cõsummatum in alieno territorio, vbi iudicentia non paratur impunè *iuxta cap. ut animarum de Constit. in 6.* secus si delictum committatur in proprio Episcopatu: quia tunc subditus existens in alieno territorio potest censuris ligari a suo Episcopo, ut si habens curam animarum non resideat, sed existat in aliena Diœcesi, quia in tali casu omisso residentie fit in proprio Episcopatu *ita Dian. par. 5. tr. 9. ref. 37.*

- 19 *Obsena 9.* quod neque irregularitas incurritur, quando verba, quibus imponitur pœna excommunicationis, vel suspensionis, sũt ambigua ita vt tam late sententiæ, quam ferendæ significatione importare possint: tunc enim accipienda sunt pro ferenda, cum simus in materia penali: & ideo hoc casu non violatur excommunicatio, vel suspensio per exercitium

or-



ordinis facti: quia censura ferenda sententia non incurritur ante sententiam Iudicis Bonacin. de Censur. disp. 1. q. 1. pun. 1. nu. 5. in fin. & num. 6. ver. tertia regula. Lezan. in Summ. qq. reg. to. 4. ver. poena ecclesiastica numer. 5. & alij communiter.

20. Obserua 10. quod promotus per saltum non fieret irregularis, si ministraverit tantum in ordine, quem ritè suscepit: nam ordinatus per saltum est suspensus tantum ab eo ordine, quem per saltum suscepit, & in hoc ministrando efficitur irregularis: non autè ab usu ordinum inferiorum, quos legitime suscepit, ut post Suar.

Henriq. & alios dicit Dian. par. 5. tr. 10. ref. 28. Bonacin. de Censur. in parti. disp. 3. q. 1. pun. 2. numer. 10. Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 47. num. 10: fieret verò irregularis, si ministraverit in ordine prætermisso cap. 1. & 2. de Cler. nõ ord. min. Sylu. in ver. irregularitas num. 14. Nau. cap. 27. num. 242.

21. Obserua 11. quod irregularitatem non incurreret suspensus, vel interdictus suscipiens ordinem sacrorum: tum quia susceptio ordinis non est functio ordinis: tum quia in cap. 1. de eo qui furt. ord. suscipit. & cap. cum illorum de sent. excom. loquitur tantum de excommunicato: tum etiam quia hæc irregularitas, non est in iure expressa Layman. in Theol. mor. lib. 1. tr. 5. cap. 3. nu. 5. & alij apud Dian. par. 4. tr. 3. ref. 92. vbi de communi. & apud Bonacin. de Censur. disp. 7. q. 3. pun. 4. nu. 2.

22. His adde, quod neque fieret

irregularis clericus ad sacros ordines non promotus, qui in missa canit epistolam sine manipulo, quamvis cum dalmatica Sylu. in ver. irregularitas num. 14. Dian. p. 4. tr. 2. ref. 56. Nau. in man. cap. 27. num. 242. vbi etiam ab irregularitate in foro anime excusat Clericum primæ tonsuræ, qui solemniter cantavit epistolam etiam cum manipulo, si noluit id facere tamquam subdiaconus, quia textus in cap. 1. de Cler. non ord. min. vbi decernitur irregularis qui vitatur ordine, quem non habet, intelligitur, quando eo vitatur serio, & vti ordinatus, ut notat etiam Sylu. in ver. irregularitas num. 14.

23. Sed quæres, an Episcopus incurrat censuras, quæ iure generali feruntur? Resp. Episcopum non incurrare poenam suspensionis, & interdicti, nisi de ipso fiat expressa mentio per cap. quia periculosum de sent. excom. in. 6. incurrit tamen excommunicationem, & irregularitatem, quia in his nullo iure excipitur Dian. par. 4. tr. 2. ref. 53. vbi citat Hurtad. disp. 1. de Irregul. diff. 7. n. 26. Turrian. de Cens. lib. 8. disp. 59. dub. 1.

24. Quæres 2. an Episcopus possit in irregularitate dispensare? Resp. quod si proneniat ex delicto occulto, poterit dispensare vigore Conc. Tridentini sess. 24. de ref. 6. censetur autem delictum occultum, si censura sit occulta, quamvis celebratio sit publica. Nau. in man. capit. 27. numer. 241. vbi dicit ita fuisse definitum in sacra poenitentia, & alij, quos refert, & sequitur Bonacin. de Censur. disp.



*disp. 7. q. 5. pun. 1. num. 5. vers. dixi, prouenientibus, quibus adde Henriq. lib. 14. cap. 6. n. 5. in fin. Vgolin. de Gensur. cap. 39. num. 3. Coninch, disp. 18. dub. 5. nu. 43. & alios apud Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. all. 47. num. 5.*

25 Obseruant tamen Doctores apud Dian. par. 5. tr. 10. ref. 27. posse Episcopum cum promotum per saltum dispensare, ut pratermissum ordinem suscipiat, & in ordine malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat, etiam si delictum sit publicum: dummodò talis in malè suscepto ordine, vel in pratermissio non ministraverit ante dispensationem; idque colligunt ex eodem Concilio sess. 23. de ref. cap. 14. in fin. ibi, cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare. immo Nauar. d. c. 27. num. 242. Bonacin. de Gensur. in part. disp. 3. q. 1. pun. 2. num. 12. putant, posse Episcopum in tali casu dispensare, etiam si ministraverit, si id fecerit per ignorantiam excusantem à mortali culpa; sed hanc sententiam meritò rejiciunt alij DD. apud Dian. loco cit. d. ref. 27. quia Concilium loco cit. Episcopo facultatem dispensandi concedit cum hac limitatione, si non ministraverit, nec distinguit de ministrante scienter, vel ignoranter:

Quæres 3. An Parochus, vel alij confessarij possint absoluerè à suspensione iure communi non reseruata? Affirmat Viual. in suo Candelab. tit. de suspens. n. 31. & alij: sed negat Hurtad. de suspens. diff.

12. nu. 31, Henriq. lib. 13. cap. 33. n. 3. & alij apud Dian. p. 5. tr. 10. ref. 23. quorum sententia videtur verior; tum quia suspensio non impedit absolutionem à peccatis, sicut impedit excommunicatio; unde ab excommunicatione nemini reseruata possunt absoluerè iuxta cap. nuper de sent. excom. tum etià quia suspensio pertinet ad forum contentiosum, & ideo non auferitur per absolutionem, sed per dispensationem Sylu. in ver. suspensio nu. 8. Bonacin. de Gensur. disp. 3. q. 5. pun. ult. num. 6. potest autem auferri ab ordinario, qui habet iurisdictionem in foro exteriori, dummodò non sit reseruata Sylu. loco cit. & alij apud Dian. d. ref. 23. quod intellige, vbi quis suspensus est à iure indefinitè nullo designato termino, secus vbi terminus suspensioni adijcitur, puta si suspendatur ad annum, vel ad triennium; tunc enim Episcopo dispensare non licet Gutier. canon. lib. 1. cap. 5. nu. 6. quem refert, & sequitur Barbof. de offic. & pot. episc. par. 2. all. 32. nu. 166. Si verò talis absolutio reseruetur Papæ, & delictum sit occultum, potest similiter Episcopus absoluerè vigore Concilij Tridentini d. sess. 24. c. 6. et notat etiam Dian. loco cit. Bonac. loco cit. d. pun. ult. nu. 5.

27 An verò Parochus, vel alius Confessarius absoluerè possit peccitentem ab interdicto? respond. quod potest absoluerè ab interdicto personali particulari non reseruato, modò satisfaciat, vel satisfaciendi cautionem præstet: quia huiusmodi interdictum non



non minus, quam excommunicatio prohibet à perceptione sacramentorum *Coninch. de Sacram. disp. 7. dub. 6. numer. 7. Hurtad. tract. de interdict. diff. 16. nu. 47. Mercer. in 3. p. q. 24. de interdict. dub. 8. & alij apud Dian. par. 5. tr. 10. ref. 71. & communem dicit Bonaccin. de Censur. disp. 5. pu. ult. n. 6.* non tamen posset absolueri ab interdicto locali, seu personali generali, quia dispensatio in tali casu spectat ad forum externum, ut dicit Bonaccin. loco cit:

28 Quæres 4. an sacerdos, qui sine legitima licentia sacras confessiones excipit, incurrat irregularitatem? Resp. negativè, quia irregularitas incurritur à exercente ordinem, quem quis non habet: sed sacerdos in hoc casu non exercet actum ordinis, quem non habet, cum verè sit sacerdos; sed potius dicitur exercere actum iurisdictionis, quam non habet, & ideo non erit irregularis, cum non sit lata in iure irregularitas contra exercentes actum iurisdictionis alienæ, ut post *Henriq. Coninch. & alios d. Bonaccin. de Censur. disp. 7. q. 3. pun. 6. num. 6. Dian. par. 4. tr. 2. ref. 89:* ubi idem dicit, si talis sacerdos ministraverit extremam unctionem. Sed hæc intellige, dummodò talis sacerdos excommunicatus, suspensus, aut interdictus non sit: si enim in tali censura hæc ageret, fieret irregularis, quia talis ministratio est actus deputatus ordini sacro, ut d. *idem Dian. ubi supra ref. 90. & alij communiter.*

## SVM. MARIVM.

- 1 Clerici promoti ante legitimam ætatem, vel absque litteris dimissorijs, vel extra tempora sunt ipso iure suspensi ex constitutione Pij II.
- 2 Quid si ordines minores suscipiant.
- 3 An qui ante legitimam ætatem, vel sine dimissorijs & c. ordinatur ad Sacerdotium, fiant irregulares consecrando cum Episcopo.  
Et quid si canant Epistolam, vel Evangelium in eadem missa, ibidem.
- 4 An taliter ordinati incurrant irregularitatem, si bona fide in susceptis ordinibus ministraverint.  
Quid si absoluti fuerint à suspensione propter defectum ætatis contracta, & deinde celebraverint non impleta adhuc ætate.
- 5 An eadem irregularitate ligentur, si exercent actus solum in Sacerdotio constitutis convenientes per aliquod Ordinis statutum.
- 6 An suspensus ab aliquo ordine incurrat irregularitatem, si ad altiorem ordinem ascendat.
- 7 An suscipiens ordinem ante legitimam ætatem, possit absque dispensatione exercere actum ordinis postquam ad legitimam ætatem peruenierit.
- 8 An Episcopus possit dispensare cum suo subdito ordinato ante legitimam ætatem, vel absque dimissorijs, vel extra tempora.
- 9 An Episcopus possit dispensare


Ab cir.



10 circa aetatem ordinandorum.  
Quando praesumatur dispensatio  
in foro exteriori.

## C A P. XI.

De ijs, qui ante legitimam aetate  
aut sine litteris dimissorijs,  
vel extra tempora ad  
ordines promo-  
uentur.

1  Clerici siue saeculares,  
siue regulares promo-  
ti ante legitimam aeta-  
tem, aut absque lit-  
teris dimissorijs, aut  
extra tempora a suorum ordinum  
exequutione sunt ipso iure suspē-  
si, & si ordine illo utantur, fiunt  
irregulares, & possunt etiam be-  
neficio priuari *ex constit. Pij II.*  
*incip. Cum ex sacrorum, quam re-*  
*fert Quarant. in ver. ordo Nau. c. 27.*  
*num. 163. vers. quinto. & alij apud*  
*Dian. p. 5. tr. 10. ref. 35. vbi dicunt,*  
quod tales suspēsi sunt ab ordi-  
nibus sic malè susceptis, & in qui-  
bus tantum deliquerunt, & con-  
sequenter inferiori ordine legiti-  
mè suscepto uti possunt, quamuis  
nequeant ad superiores ordines  
ascendere.

2 Sed haec conclusio limitatur 1.  
quoad suscipientem minores or-  
dines ante legitimam aetatem, siue  
extra tempora, quia praedicta cō-  
stitutio Pij II. loquitur tantum de  
promotis ad ordines sacros, ut ob-  
seruat etiam *Nau. conf. 31. nu. 4. de*  
*Tempor. ordin. Bellet. Disquis. Cle-*  
*ric. par. 1. tit. de Discipul. cleric. S. 5.*

*num. 61. & alij, quicquid dicat Ricc.*  
*in Prax. for. eccles. par. 3. ref. 236. se-*  
cus si absq; litteris dimissorijs pro-  
prij Praelati ad minores ordines  
promoueat, in hoc enim casu  
ab exequutione ordinū sic suscep-  
torum, donec suo Praelato visum  
fuerit, ipso iure est suspēsus vi-  
gore decreti Concilij Tridentini  
*sess. 14. de ref. cap. 2.*

3 Secundo qui ante legitimam  
aetatem, aut sine dimissorijs, vel  
extra tempora ad Sacerdotium  
ordinatur, non fit irregularis con-  
celebrando, siue consecrando cū  
Episcopo: tum quia haec videtur  
vnica actio ordinationis, quae du-  
rante officio durare censetur, tum  
quia ordinatio tunc non est com-  
pleta, cum nondum concessa sit  
ordinato potestas absoluedi a pec-  
catis: tum etiam quia ecclesia re-  
putat pro prima missa solummodo  
illam, quam quis per se celebrat  
*ita Quarant. in ver. ordo vers. am-*  
*pliatio. illa Bellet. d. 9. n. 57 Vulp.*  
*in Prax. iudic. cap. 8. num. 2. Dian.*  
*p. 5. tr. 10. ref. 37. vbi idem dicit de*  
canente epistolam, aut euangeliū  
in eadem Missa. Et haec quidem  
sententia probabilis est, sed con-  
traria est probabilior, tam quia  
taliter ordinatus simul cum Epi-  
scopo verè consecrat eandem ho-  
stiam, ut dicitur *Tho. in 3. par. q. 82. ar.*  
*2. tum quia Episcopus prius ordi-*  
nat presbyterum, eique caracte-  
rem illius ordinis imprimit, quam  
consecret, & admittat eum ad cō-  
secrandum, ut obseruat *Sorb. in*  
*ver. ordines sacri vers. sed hic ad-*  
*uertenda est: & ideo cum per re-*  
ceptionem ordinis sacri ante aeta-  
tem



tem legitimam, siue extra tempo-  
ra, eo ipso suspensus sit per consti-  
tutionem Rij. II. videtur etiam ir-  
regularitatem incurere per exer-  
citiū illius ordinis; Vnde ita te-  
nent Doctores, quos refert, & sequi-  
tur Bonac. de Sacram. disp. 8. q. vii.  
pun. 5. nu. 13. Barbof. de offic. & pot.  
Epi. p. 1. c. 2. al. 16. num. 16.

4 Tertiò qui contra huius consti-  
tutionis dispositionem ordine sa-  
cro insignitus in eo ministraverit  
bona fide, alioquin non facturus,  
saltem quoad forum conscientia  
irregularis non cenfetur propter  
verbum, *presumpserint*, in dicta  
constitutione appositum, quod do-  
lum significat *Nau. cap. 27. nu. 155.*  
*Bellett. loco cit. num. 59. Quarant. in*  
*ver. ordo. vers. quibus sic specialiter,*  
*& alij apud Bonac. loco cit. n. 14.*  
Vnde cum propter bonam fidem  
tunc à suspensione liberatus fue-  
rit, non contraheret irregularita-  
tem, si deinde sciens se non ha-  
bere legitimam etatem, celebra-  
verit, quamvis toties, quoties sa-  
cra fecerit, mortalem culpam cõ-  
miserit *Quarant. loco cit. vers. no-*  
*tandum Bonac. ubi supra & alij*  
*apud Barbof. par. 2. all. 16. num. 22.*  
*Dian. par. 3. tract. 4. ref. 182. & 192.*  
Idem dicendum, si ab hac suspen-  
sione propter defectum etatis cõ-  
tracta absolutus fuit, & postea ce-  
lebraret etiam non impleta etate,  
tunc enim irregularitatem non  
incurrit, quamvis celebrando mor-  
taliter peccauerit, *ut dicunt DD.*  
*apud Dian. par. 5. tr. 10. ref. 34.*

Immo *Nau. loco cit. quem sequi-  
tur Dian. par. 5. tr. 10. ref. 32. & 34.*  
illum etiam ab irregularitate ex-

cusat, qui temerariè quidem or-  
dinatus est, postea tamen bona fi-  
de, & candida simplicitate per  
pœnitentiã purgato peccato exer-  
cuit ordinem existimans sibi lici-  
tum esse: hoc tamen non ita abso-  
lutè admittendum est, sed tantum,  
quãdo taliter ordinatus putabat,  
id sibi licuisse ex probabili igno-  
rantia facti, secus si crassa facti, aut  
iuris ignorantia fuit, vel affectata  
*Tolet. in sum. lib. 1. c. 48. vers. quarta*  
*habetur, quem refert & sequitur*  
*Quarant. loco cit. vers. quibus sic spe-*  
*cialiter Barbof. d. par. 2. all. 16. n. 19.*  
Quartò neq; fit irregularis pro-  
mòtus ad Sacerdotium ante legi-  
timam etatem, si exerceat actus  
solum in Sacerdotio constitutis  
conuenientes, & Sacerdotali or-  
dini deputatos, modò non cele-  
bret, ita *Bellett. d. 5. num. 58. &*  
*alij apud Barbof. ubi supra nu. 15.*  
sed hoc intelligendum est de acti-  
bus honoris alicui, ratione Sacer-  
dotalis ordinis conuenientibus,  
qualis est sessio inter Sacerdotes,  
vel electio, tam actiua, quam pas-  
siua ad solos Sacerdotes pertinens  
iure particulari alicuius ordinis,  
seu Religionis, vt in his terminis  
consuluit *Nau. cons. 9. de Cler. ex cõ-*  
*mun. ministr. Quarant. in ver. or-*  
*do, vers. ampliatio illa. secus est,*  
si exerceret alios actus specialiter  
deputatos alicui ordini sacro, vt  
si faceret officium in choro tam-  
quam hebdomadarius, vel canē-  
ret solemniter epistolam, aut euā-  
gelium, vel sacramentaliter absol-  
ueret, & similia: tunc enim irre-  
gularitatem incurreret *cap. 1. & c.*  
*15, cui de sent. excom. in 6. Nau. loco*



*cit. Bonac. de censur. disp. 7. q. 3. pun. 5. nu. 3. & seq. & alij communiter.*

- 6 Quinto nec irregularitatem incurreret suspensus ab aliquo ordine, si ad altiorem ordinem ascenderet, dummodò actum illorum ordinum non exerceat *Sayr. de Censur. lib. 4. cap. 16. num. 22. Vulp. in Prax. iudic. for. ecclies. cap. 8. n. 32. quos refert Barbof. loco cit. numero 15. in fin.*
- 7 Septimò si quis inculpabiliter ante legitimam ætatem suscepit ordinem, & iam est in ætate legitima, absque incurfu irregularitatis potest exercere actum sui ordinis: quia summus Pontifex hæc pœnam imposuit, ut temeritatem reprimeret talium delinquentium; si verò suscepit culpabiliter, ut si sciebat vetitum, licet nesciret impositam censuram, indigeret relaxatione, vel absolutione à suspensione, quamvis iam peruenerit ad legitimam ætatem *Nau. cap. 27. num. 135. Folet. lib. 1. cap. 49. nu. 4. Suar. de Censur. disp. 31. sect. 1. n. 25. Auil. par. 3. dub. 7. not. 8. quos refert, & sequitur Dian. par. 5. tr. 10. resol. 34. & ita intelligendi sunt Quar. in ver. ordo vers. colliguntur, & alij apud Barbof. d. par. 2. alleg. 16. numero 10.*
- 8 Quæres, an Episcopus possit dispensare cum suo subdito ordinato ante legitimam ætatem, vel extra tempora, aut sine dimissorijs? Resp. quod si delictum est occultum, poterit dispensare, etiam si inciderit in irregularitatem ob exercitium ordinis sacri, ut ex *Conc. Trid. sess. 24. de ref. cap. 6.* si verò delictum sit publicum, contentio est

inter Doctores: alij enim putant, non posse Episcopum in tali casu dispensare: quia in constitutione Pij II. simpliciter, & absque temporis præfinitione pœna suspensionis infligitur, & idèò perpetuè inflicta censetur, ad *tex. in l. seruus vbi Bartol. & alij de pœn. ex quo fit, ut ad summum Pontificem tantum absolutio spectet, cum inferior non possit supremi Principis factum reuocare iuxta glos. in cap. ex litteris ver. in perpetuum de constit. & in c. cupientes §. ceterum ver. perpetuè de elect. in 6. ita Sylu. in ver. irregularitas num. 12. Sorb. in ver. ordines sacri vers. item notandum, & communem dicit Barbof. de offic. & pot. Episc. par. 2. alleg. 16. numero 25. & alleg. 17. num. 15.*

Alij verò asserunt, posse Episcopum cum suo subdito in tali casu dispensare, quia Pius II in d. constitutione non reseruauit expressè absolutionem suspensionis, & idèò videtur eo ipso Episcopo concessisse facultatem relaxandi iuxta *tex. in cap. nuper. de sent. excom. ita Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 32. Hurtad. tract. de suspens. diff. 13. num. 36. quos refert Dian. b. 5. tr. 10. res. 31. vbi etiam dicit, posse superiorem regularem absoluere, suos subditos sic suspensos Piassec. in Prax. Episc. par. 1. cap. 1. num. 58. & alij apud Bonacin de Censur. in part. disp. 3. q. 1. pun. 1. n. 11. & pun. 3. numer. 6. cui sententiæ videtur fauere Concilium Tridentinum, sess. 14. de ref. cap. 2. & sess. 23. cap. 8. vbi ordinatus sine litteris dimissorijs à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordina-*



rio videbitur expedire, suspenditur, ut aduertit etiam Rico. in Praxi. for. eccles. par. 3. ref. 236. Quare hæc sententia satis probabilis videtur.

- 9 Obseruat tamen Quarant. in ver. ordo vers. secundo limita, quod respectu eius, qui in suspensionem incidit propter ætatis defectum, non potest Episcopus dispensare, nisi impleta ætate: quia secundum receptam sententiam non potest Episcopus etiam ante promotionem dispensare circa ætatem ordinandorum, & ideo cum ipse aliter ordinis puniatur, in sua potestate esset illudere dictæ pœnæ, si dispensare posset: unde neque poterit dispensare, si scienter ordinauit non habentem legitimam ætatem arg. c. diuensis fallacijs de Clericis. Sylu. in ver. irregularitas nu. 12. & alij apud Quarant. loco cit. præsumitur autem dispensatio in foro exteriori ex lapsu 20. annorum Rota decis. 200. num. 5. par. 2. Recent. quæ refert Barbof. d. par. 2. all. 17. nu. 17.

## S V M M A R I V M.

- 1 Clericus violans interdictum per exercitium ordinis sacri irregularitatem incurrit.
  - 2 Clericus secularis violans cessationem à diuinis nullam incurrit irregularitatem.
- Quid si regularis huiusmodi cessationem à diuinis violauerit, ibidem.
- 3 An incurrat irregularitatem clericus, qui in loco interdicto confert sacramenta.

4 Quanam sacramenta tempore interdicti permittantur, & quæ prohibeantur, & nu. 5. 6. 7. 8. 9 & 10.

11 An Episcopus celebrans in loco interdicto irregularitatem incurrat.

12 Quando interdictus ab ingressu ecclesie incurrat irregularitatem.

13 An Episcopus possit absolueret ab interdicto.

## C A P. V L T.

An, & quando possit Clericus in loco interdicto actus ordinis exercere, seu sacramenta conferre.



**C**LERICVS tam secularis, quam regularis scienter violans interdictum per exercitium alicuius ordinis sacri irregularitatem incurrit, & fit ineligibilis tam actiue, quam passiuè c. 1. de Postul. Prælat. c. 15, qui d. is verò de sent. excom. in 6. ac suspensus est à beneficio, & officio, & consequenter à iurisdictione cap. vlt. ubi glos. ver. irritas de excess. Prælat. Sylu. in Sum. ver. interdictum 6. num. 3. & alij apud Bonac. de Censur. disp. 5. pun. 7. num. 4. scilicet si Clericus secularis violauerit cessationem à diuinis, hoc enim casu nullam irregularitatem incurrit, quamuis grauitèr peccet; quia hæc irregularitas non est in iure expressa Nau. in Man. c. 27. num. 188. & alij communiter dixi, Clericus



*Clericus secularis*, quia regularis ipso facto excommunicationem incurrit, si non seruauerit tam interdictum, quam cessationem seruata per Ecclesiam matricem, vel parochialem illius loci *ex clem. 1. de sent. excom.*

- 3 Similem irregularitatem incurreret clericus non interdictus, si in loco interdicto conferat sacramenta, quæ tempore interdicti non permittuntur: secus esset, si sacramenta conferret interdicto, dum nec ipse, nec locus est interdictus: quia hic casus non est in iure expressus, *ut dicit Alter. & alij apud Bonacin. loco cit. nu. 4.*
- 4 Sed quæres, quæ sint sacramenta, quæ tempore interdicti permittuntur? Resp. quod eo tempore licet administrari potest sacramentum baptismi tam paruulis, quam adultis *cap. non est de sponsal. cap. quoniam de sent. excom. in 6.*
- 5 Secundò sacramentum Confirmationis similiter ministrari potest tam paruulis, quam adultis *c. responsio 43. vers. præterea de sent. excom. cap. quoniam eod. tit. in 6.* etiã solemniter, & in ecclesia specialim interdicta, exceptis ijs, qui interdicto personali affecti sunt, aut causam interdicto dederunt, *ut dicunt DD. apud Barbosa. de offic. & pot. Episc. p. 2. all. 38. nu. 13.* & ideo potest confici Crisma in die cænæ Domini, & fieri etiã benedictio fontis *cap. quoniam de sent. excom. in 6. Nau. cap. 27. num. 178. Bonacin. de Censur. d. disp. 5. pun. 3. §. 1. num. 2.*
- 6 Tertio Eucharistia existentibus

in probabili mortis periculo *cap. permittimus de sent. excom.* cessante verò mortis periculo ministrari non potest *Nau. d. cap. 27. nu. 178.* vnde neque in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Beatissimæ Virginis, quibus diebus concessum est diuinis interesse *iuxta cap. Alma mater de sent. excom. in 6.* possit quis recipere eucharistiã secundum *Sylu. ver. interdictum §. num. 3. cuius sententiam communem dicit Bonacin. d. disp. 5. pun. 3. §. 2. nu. 12.*

Sed contrarium videtur innuere textus *in d. cap. Alma mater, ibi, præfatis diebus participationem permittimus diuinorum:* & ideo alij probabiliter tenent, quod ijs diebus, quibus concessum est diuinis interesse, licitum etiam sit suscipere eucharistiã, ita *Diam. par. 5. tr. 10. ref. 83. ubi citat Laym. lib. 1. tr. 7. p. 4. cap. 2. num. 3. Coninch. de Sac. disp. 27. dub. 2. nu. 36. Merc. in 3. par. q. 24. de Interd. dub. 2. & alios.* vnde in Paschate adimplendum est etiam præceptum annuæ communionis, quia tunc cessat impedimentum interdicti *per d. cap. Alma mater.*

Obserua tamen quod à Martino V. & Eugenio IV. prædictis festiuitatibus additus fuit dies solennitatis corporis Christi cum octaua, & à Leone X. dies Conceptionis B. Mariæ Virginis simul cum octaua, *ut notat Sylu. in ver. interdictum §. num. 3. Diam. par. 5. tr. 10. ref. 61. & alij apud Bonac. d. disp. 5. pun. 4. num. 14.*

- 7 Quarto in ecclesijs sitis in loco gene-



generaliter interdictio singulis diebus potest celebrari missa, & alia diuina officia, submissa tamen voce, sine campanarum sono, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis iuxta cit. cap. *alma mater*: secus esset, si ecclesia ipsa specialiter sicut interdicta: quia tunc semel tantum in hebdomada missa celebrari potest ad renouandam eucharistiam in ecclesia, ubi illa asseruatur, sicut permissum erat iure antiquo per cap. *permittimus de sent. excomm.* nam circa hoc nihil sancitum est iure nouo in d. cap. *alma mater. Nauar. cap. 27. num. 173.* & alij, quos refert & sequitur Bonacin. de Censur. d. disp. 5. pun. 4. nu. 7. & pun. 7. num. 9. *vers. sed contrarium.*

8. Quinto tam sani, quam infirmi ad poenitentiam admittuntur, nisi sint excommunicati, quibus non nisi in mortis periculo hoc sacramentum ministratur; vel nisi causam dederint interdicto, hi enim non admittuntur nisi satisfaciant, vel caueant iuxta cit. cap. *Alma mater.*

9. Excipiuntur igitur sacramenta ordinis, Matrimonij, & extremæ vnctionis, quæ tempore interdicti regulariter ministrari non possunt cap. *responsio de sent. excomm. c. non est vobis de sponsul. Nauar. cap. 27. nu. 179.* & alij apud Bonac. d. disp. 5. pun. 3. §. 3. num. 6. & 7. Barbof. d. p. 2. all. 3. 2. num. 197. & seq. quamuis neque in hoc eadem est omnium Doctorum opinio: alij enim tenent, etiam matrimonium licite contra hi posse tempore interdicti, ita Sanchez. de matrim. tom. 2. lib. 7. disp.

8. nu. 2. *Auil. de Censur. par. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 6. Villalob. in sum. to. 1. tr. 19. diff. 4. numer. 10.* & alij apud Dian. par. 3. tr. 4. ref. 267. & par. 5. tr. 10. ref. 81. etiam in ecclesia, & inter personas specialiter interdictas secundum Nau. cap. 27. n. 179. *Rico. in Prax. for. eccl. par. 4. resolutione 567.*

10. Alij etiam asserunt, extremam vnctionem tempore interdicti non esse denegandam infirmo in articulo mortis cui Sacramentum confessionis, vel Eucharistia ex aliquo accidenti non potuit ministrari, si contritionis ostenderit signa: quia cum tempore interdicti possit ministrari sacramentum poenitentia, vt supra diximus, videtur etiam in dicto casu posse ministrari extremam vnctionem, quæ tunc locum poenitentia habere censetur, ita Trullen. in Bull. Cru. lib. 1. §. 3. dub. 7. nu. 2. & alij, quos refert, & sequitur idem Dian. par. 5. tr. 10. ref. 77.

11. Quæres 2. an Episcopus celebrans in loco interdicto irregularitatem incurrat? affirmatiue respondet Bonacin. de Censur. disp. 5. pun. 1. numer. 28. & pun. 7. nu. 7. ubi alios refert, ratio est, quia effectus interdicti sunt instituti à iure communi, in quo non potest inferior Papa dispensare: & ideo in locali interdicto includitur etiam ipsemet Iudex, qui illud tulit: quæ admodum neque Episcopus potest cum eo participare, & communicare, quem ipse excommunicauit, quia id iure communi prohibetur.

Sed contra ria sententia mihi vide-



detur probabilior, quia ex priuilegio iuris eximitur Episcopus à generali interdicto, & suspensione à iure lata, nisi de eo fiat specialis mentio *cap. quia periculosum de sent. excomm. in 6.* & ideo seruato moderamine *d. cap. Alma mater* licite potest celebrare, & audire diuina, quamuis sit interdicta Ciuitas, vel Regnum *cap. ult. & ibi glos. fin. de Priuileg. in 6. ita tenet Nau. cap. 27. num. 165. & alij apud Barbof. de offic. & pot. Episc. p. 2. all. 38. num. 9.* tutius tamen erit, vt si ipsemet Episcopus interdictum tulerit, illud auferat antequam celebret, vt aduertit Bonacin. *d. pun. 7. numero 7.*

12 Quæres 3. quid dicendum de interdicto ab ingressu Ecclesiæ? Resp. quod si talis interdictus in ecclesia se ingerat diuini exercendo aliquem actum ordinis sacri, fit irregularis *cap. is, cui de sent. excomm. in 6.* secus si extra ecclesiam celebret, aut in oratorijs priuatis, aut cæmeterijs, quæ in rigore loquendo nomine ecclesiæ non veniunt *glo. in d. c. is, cui ver. in ea Nau. cap. 27. n. 170. Ricc. in Prax. for. eccles. p. 1. ref. 451. Dian. par. 5. tr. 10. ref. 75.* Hinc fit, vt si talis interdictus audiat diuina officia in ecclesia, aut ibi tantum recipiat sacramenta, non incurreret irregularitatem: tum quia hoc casu non exercet actum ordinis sacri: tum quia interdicto ab ingressu Ecclesiæ prohibetur vsus diuinorum officiorum, & sepulturæ, non autem vsus sacramentorum *Ricc. in Prax. vt sup. p. 2. ref. 204. Bonacin. de Censur. d. disp. 5. pun. 5. n. 21. & 12. Diã.*

*p. 5. tr. 10. ref. 73. ubi citat Henrici lib. 13. c. 32. n. 2. & Auil. p. 5. disp. 4. dub. 5. concl. 6.*

Addit Nau. *d. cap. 27. num. 170.* quod talis interdictus priuatur ingressu ecclesiæ tempore diuinorum officiorum, non autem quando ibi diuina officia non aguntur: & ideo potest tunc ecclesiam ingredi, & in ea orare *idem dicit Bonacin. loco cit. num. 11. Reginald. to. 2. lib. 32. tract. 3. c. 30. nu. 41. Hurtad. tract. de Interd. diff. 9. nu. 31. Coninch. de Sacram. disp. 17. dub. 2. num. 59. Auil. par. 5. disp. 4. dub. 5. concl. 6. & alij apud Dian. par. 5. tr. 10. ref. 72.*

13 Quæres 4. an Episcopus possit absoluere ab interdicto? Resp. quod in interdicto posito à iure non reseruato potest Episcopus absoluere, etiamsi publicum sit *cap. nuper de sent. excomm. Barbof. in cap. dilectis num. 4. de Appell. Bonacin. de Censur. d. disp. 5. pun. ult. n. 5.* & in tali casu potest etiã Episcopus pro certo tempore, & causa illud suspedere *glos. in c. presenti ver. de claramus in fin. de sent. excomm. in 6. Nau. cap. 27. num. 183. Barbof. in d. c. dilectis n. 3. & alij apud Dian. d. par. 5. tr. 10. ref. 69.* si verò sit reseruatum, poterit Episcopus absoluere vigore Concilij Tridentini *sess. 24. de ref. cap. 6.* modò proueniat ex delicto occulto, vt notat etiam Bonacin. *loco cit. nu. 5.*

Secus dicendum est de interdicto lato ab homine, tunc enim illud neque tollere, neque suspendere potest, nisi fortè tale interdictum ipsemet Episcopus tulerit, *Sylu. in ver. interdictum 3. nu. 8. & alij Doctores citati.*

Finis Libri Secundi.